AN. LXXXII SERIES VII FASC. III. AN. 1957

MONITOR ECCLESIASTICUS

Fundatus a. 1876 ab E.mo Card. Casimiro GENNARI
peculiari S. Sedis adprobatione continuatur

MODERANTIBUS

ARCADIO LARRAONA
Secretario S. C. De Religiosis

FLORENTIO ROMITA
A Studiis S. C. Concilii

ADIUVANTIBUS

ANTONELLI F., O. F. M., Relator. Gener. Sect. Hist. S. C. Rituum — BARTOCCETTI V., Subsecr. S. C. De Disciplina Sacramentorum — BENDER L., O. P., in Pont. Athenaeo *Angelicum* Professore Juris Canonici — BIDAGOR R., S. J., Cons. S. C. De Disciplina Sacramentorum — CAPPELLO F. M., S. J., Cons. S. C. Concilii — CASTELLANO M., Arp.o Colossen. — DE ANGELIS S., Substit. S. Paenitentiariae Apostolicae — GUTIERREZ A., A Studiis S. C. De Religiosis — HERMAN Ae. S. J., Cons. S. C. Pro Ecclesia Orientali — LENTI PROF. J., Adv. S. Romanae Rotae — OESTERLE G., O. S. B., Cons. S. C. Pro Ecclesia Orientali — PAVENTI X., A Studiis S. C. De Propaganda Fide — ROMANI S , Promotor. Fidei S. C. Rituum — ROMEO A., A Studiis S. C. De Semin. et Univers. Stud. — ZERBA C., Subsecr. S. C. De Disciplina Sacramentorum

Aliisque S. Romanae Curiae Officialibus, Consultoribus et Advocatis.

DESCLÉE & C[i] — EDITORES PONTIFICII

ROMAE (117) PIAZZA GRAZIOLI N. 4 — TEL. 64.395 — C. C. P. 1-4270

OFFICIUM REDACTIONIS ET ADMINISTRATIONIS - PIAZZA GRAZIOLI N. 4. TEL. 63.931

Periodico Trimestrale - *Sped. in Abb. Post.* - Gruppo IV

IMPRIMATUR

Sorae, 15 - IX - 1957.

† BLASIUS MUSTO
Episcopus Aquini, Sorae et Pontiscurvi

OMNIA IURA PROPRIETATIS VINDICABUNTUR

TIPOGRAFIA EDITRICE M. PISANI - ISOLA DEL LIRI

SUMMARIUM

ADNOTATIONES IN ACTA S. SEDIS

S. Congregatio de Religiosis.

Instructio circa monialium clausuram. (Adn. GAMBARI Ae.).. . . Pag. 383

JURISPRUDENTIA SACRAE ROMANAE ROTAE ALIORUMQUE TRIBUNALIUM. ECCLESIASTICORUM

S. Romana Rota.

Coram R. P. D. Joanne M. PINNA, *Ponente*. Florentina. Nullitatis matrimonii - Beneficii novae audientiae. Sententia diei 10 ianuarii 1957. . . . . » 413

Coram R. P. D. Joanne M. PINNA, *Ponente*. Nullitatis matrimonii. (*De metu gravi et iniuste incusso*). Sententia definitiva diei 23 februarii 1957. . . . . » 414

Coram R. P. D. Petro MATTIOLI, *Ponente*. Turonen. *Solutionis*. (Sorores Benedictinae - Moniales Carmelitae). Sententia definitiva diei 25 martii 1957. . . . . » 417

Coram R. P. D. Dino STAFFA, *Ponente*. (*De ignorantia naturae matrimonii*). Sententia diei 17 maii 1957. . . . . » 426

Coram R. P. D. Petro MATTIOLI, *Ponente*. (*Incidens de nullitate insanabili actus prosequutionis appellationis ex parte Actricis*). Decretum. . . . . » 429

TRIBUNAL ECCLESIASTICUM REGIONALE SICULUM PANORMI

MESSANEN. Nullitatis matrimonii. (*Ex vi et metu viro incusso et ob eius impotentia*). Sententia diei 30 octobris 1956. . . . » 433

STUDIA ET CONSULTATIONES

BENDER, L. Matrimonium coram solis testibus. . . . . » 455

DAMBORIENA, P. Motus « Riarmo Morale » et catholici. . . . » 461

ROMITA F. I principi della legislazione musicale sacra, secondo l'Enc. *Musicae sacrae disciplina*. . . . . » 504

RECENSIONES

Sac. G. CERIANI. *Introduzione al Cristianesimo*, (PARISELLA). . . » 519
HEINRICH FLATTEN. *Irrtum und Täuschung bei der Eheschliessung nach kanonischen Recht.* (OESTERLE, G.). . . . . » 520
BENNO LOMBMANN. *Der kanonische Infamiebegriff in seiner geschichtlichen Entwicklung. Unter besonderer Berücksichtigung der Infamielehre des Franz Suarez.* (G. OESTERLE). . . . . » 524
ANTONIO ROSMINI *nel centenario della sua morte.* (R. M.). . . » 528
RAIMONDO SPIAZZI. *Lo Spirito Santo nella vita cristiana.* (F. CARPINO). » 531

DOCUMENTA

Pii PP. XII. EPISTULA Ad P. D. Adeodatum Ioan. Card. PIAZZA, quem Legatum mittit ad sacra sollemnia, ob repositionem exuviarum Sancti Nicolai Ep. Myrensis, Barii celebranda. . . . . » 535
— NUNTIUS SCRIPTO DATUS. Christifidelibus, ob sacra sollemnia in repositione exuviarum Sancti Nicolai Ep. Myrensis, Barii coadunatis. . . . . » 536
— NUNTII RADIOPHONICI: Ad christifideles, die Paschatis Resurrectionis D. N. I. C., devota omina Summo Pontifici ac Veneratissimo Patri in foro S. Petri proclamantes. . . . . » 537
— Cunctis populis nationumque moderatoribus datus, quoad hodiernos luctuosissimos eventus quibus mundus agitatur. . . » 542
— ALLOCUTIO. Alumnis e scholis publicis medii gradus Urbis, in Basilica Vaticana coadunatis. . . . . » 544

CHRONICA

Acta Pii PP. II. - Acta SS. Congregationum (OESTERLE G.). . » 551
Index Bibliographicus.

ADNOTATIONES
IN
ACTA SANCTÆ SEDIS

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

INSTRUCTIO

CIRCA MONIALIUM CLAUSURAM

1. Inter cetera quae Pium PP. XII Dominum Nostrum ad Constitutionem Apostolicam « Sponsa Christi » promulgandam induxerunt, non leves Ipse recensuit difficultates quibus in praesentiarum actiores papalis clausurae leges facilem ansam praeberent (*A.A.S.* Vol. XXXXIII, [1951], p. 11). Nec mirum, cum in toto Monialium Instituto clausura potissimum temporum rerumque varietates ac mutationes persenserit (*A.A.S.* l. c., p. 9). Cum vero renovationis ac adaptationis rationem adumbraret, hoc Apostolica Constitutio sapienter statuit: « Firmis prorsus omnibus nativis ac potissimis venerandi Monialium Instituti elementis, quoad elementa alia, quae externa et adventitia censentur, illas caute prudenterque ad hodierna adiuncta accommodationes inducere, quae Instituto eidem non modo maiorem decorem, sed pleniorem etiam efficacitatem tribuere poterunt » (*A.A.S.* l. c. p. 10). Sanctitas Sua, ideo, clausuram papalem Monialium dum in Statutis Generalibus (art. IV) aetatis nostrae conditionibus paterne aptavit, eamdem ceterum ubique confirmandam vel restituendam esse constituit.

Vitae canonicae contemplativae, enimvero, unum ex elementis propriis et potissimis stricta illa clausura est, quae, antiqua traditione innixa decursuque saeculorum ordinata atque defensa, cum praesidium est professionis solemnis castitatis tum ratio aptissima disponendi animam ad maiorem cum Deo unionem. Quo autem vehementius hisce diebus hominum mentes ad exteriora trahuntur, eo fortius clausurae institutum, quo Moniales plenius Dei adhaerere valent, servandum est.

2. Sacra Congregatio de Religiosis, pro munere sibi a Summo Pontifice commisso, quod est, « per instructiones, declarationes, responsa aliaque id genus documenta, illa omnia peragere... quae ad Constitutionem diligenter atque efficaciter inducendam atque ad Generalia Statuta fideliter prompteque servanda spectant » (*A.A.S.*,

l. c., p. 15), iam die 23 Novembris 1950 Instructionem « *Inter praeclara* » vulgavit, cuius prima pars circa Monialium clausuram maiorem et minorem tota versatur (*A.A.S.*, l. c., p. 37).

3. Nunc vero aliquot fecundae experientiae elapsis annis, semel iterumque attentis ac serio ponderatis cunctis quae Sanctae Sedi hac de re delata fuerunt, cumque ob introductam clausuram papalem minorem per Constitutionem Apostolicam « Sponsa Christi », diei 21 Novembris anni 1950, Instructio Sacrae Congregationis de Religiosis « Nuper edito » diei 6 Februarii 1924 (*A.A.S.* XVI [1924], p. 96, 192) vigenti disciplinae iam non respondeat, eadem Sacra Congregatio ulteriora definire et materiam ex integro ordinare (can. 22) iam possibile atque opportunum existimavit, quod hac Instructione peragere intendit.

I

De clausura papali generatim

4. Omnium Monasteriorum Moniales, quamvis actu ex temporaria exceptione adhuc vota tantum simplicia profiteantur (Const. *Sponsa Christi*, art. III, § 2), si velint Monialium nomen et conditionem iuridicam retinere, clausuram pontificiam seu papalem saltem minorem necessario accipere et retinere debent (Art. IV, § 5, n. 2).

5. Sive agitur de novi Monasterii fundatione in quo primo clausura instauretur, sive de Monasterio iam condito in quo clausura restauranda sit, ad pontificiam seu papalem clausuram de facto observandam Moniales stricte tenebuntur, quae ad omnium ingressum et egressum quod attinet ab illo signate momento urgenda erit, quod ab Auctoritate Ecclesiastica competenti, id est ab Ordinario loci diligenter, scripto, figi ac definiri debet.

6. Lex clausurae, sive maioris, sive minoris, afficit omne Monasterium alterutri clausurae subiectum, quidquid est de numero etiam imminuto vel parvo ibi degentium Monialium (can. 597, § 2).

II

De clausura papali maiore

De ratione clausurae papalis maioris

7. Clausura pontificia seu papalis maior illa est quae in Codice can. 597, 600-602) prostat, quaeque Constitutione Apostolica « *Spon-*

sa Christi » plane ac solemniter confirmata et expolita, in Instructione vero « *Inter praeclara* » (VI-X) pressius definita est.

8. *a*) Clausura pontificia seu papalis maior in omnibus Monasteriis ex regula viget ac tenet in quibus actu vota solemnia emittuntur quaeque vitam unice contemplativam profitentur (Const. *Sponsa Christi*, art. IV, § 2, 2°).

b) In Monasteriis vero in quibus, etsi vitae unice contemplativae dedita sunt, ex indulto per exceptionem vota adhuc tantum simplicia nuncupantur (Const. *Sponsa Christi*, art. III, § 2), quamvis clausura, si fieri poterit, maior esse debeat (art. IV, § 2, 2), tamen minor, praecipue ad sanctionem a Sancta Sede quod attinet, concedi potest atque prudenter, iuxta casus, applicatur (Const. *Sponsa Christi*, art. IV, § 3, 3 - Instr. *Inter praeclara*, V).

9. Monasteria in quibus ex Regula et Constitutionibus nonnisi vita canonice contemplativa ducenda est, clausuram maiorem retinere poterunt etsi a Sede Apostolica, ob graves causas et quousque hae perdurant, quaedam opera apostolatus eis imponantur vel concedantur, dummodo aliquae tantum Moniales et solum Monasterii pars, ab illa accurate distincta ac separata in qua communitas commoratur vitamque exercet communem, iis operibus destinentur.

10. Clausurae praescriptis tenentur Moniales omnes (can. 601), Novitiae ac Postulantes (can. 540, § 3). Professae autem votorum temporariorum, expletis his votis, Novitiae ac Postulantes semper, clausuram egredi tunc tantum possunt cum definitive Monasterium relinquere intendunt.

11. *a*) Clausura necessario complectitur non modo aedificium Monasterii eiusque adnexa in quibus Moniales degunt, verum etiam hortos, viridaria et quaecumque loca ipsae frequentant.

b) Extra clausuram habentur: locutoria quoad partem extraneis destinatam; ecclesia et oratorium *extra chorum Monialibus reservatum*, sacristia cum locis adiacentibus, clero et ministrantibus aperta, locus in quo sacerdos confessiones Monialium audit, aedes in quibus Sorores externae commorantur, et illae partes quae cappellanis et hospitibus destinantur.

12. *a*) Licet ecclesia, sacristia eiusque adnexa cultui destinata, clausura non contineantur, tamen si vere necessarium sit Moniales ipsas ibi aliquando operam praestare, Ordinarii locorum ex sese permittere poterunt ut, durantibus huiusmodi necessitate et opera, ad praedicta loca clausura de facto extendatur, dummodo circa ea-

dem loca illa omnia tunc serventur quae ad tutandam clausuram infra praescribuntur.

b) In iisdem adiunctis et sub iisdem conditionibus, Ordinarii concedere valent ut clausura ad actum item extendatur etiam ad locutoria aliaque loca Monasterio adnexa, quando, si desint Sorores externae, vel alia de causa, Moniales ibi quoque aliquod opus peragere vere necessarium censeatur.

13. *a*) Partes Monasterii clausurae obnoxiae, ut supra, ita defendi seu muniri debent ut non solum ingressus in eas omnino impediatur sed etiam prospectui introrsum ab extraneis et pariter extrorsum a Monialibus prospectui pro viribus efficaciter officiatur.

b) Hinc etiam horti et viridaria circumdari debent sive alto muro, sive alio efficaci modo, puta tabulis ligneis, ferreo reti, densa firmaque saepe, iudicio Ordinarii et Superioris regularis, ratione habita praesertim situs, frequentiae saecularium, etc.

14. *a*) Fenestrae verus plateas et domos vicinas, vel qualicumque communicationi cum extraneis occasionem praebentes, vitris non translucidis, valvulis aut transennis fixis donentur, ita ut hinc inde prospectus impediatur.

b) Si supra tectum Monasterii solaria exstant seu deambulatoria, ut ed ea Monialibus accessus pateat, cratibus vel alio efficaci modo circumsaepta sint oportet.

15. Nisi rigidiore iure particulari aliter cautum sit, Moniales clausurae lege impediri non debent quominus, genuini spiritus liturgici fovendi causa, altare videre valeant, ita tamen ut ipsae Moniales a fidelibus conspici nequeant.

16. Locutorii pars Monialibus reservata ab alia extraneis destinata duplicibus cratibus aliquo intervallo secure fixis, vel alio modo vere efficaci, iudicio Ordinarii et Superioris regularis, atque ipsorum onerata conscientia, separari debet, ne personae utrimque attingi queant.

17. Prope Monasterii ianuam, in locutoriis, in sacristia et ubicumque opus est, habeantur muro insertae rotae, quae vocantur, aut capsae binariae, iuxta usum receptum, ad res necessarias transmittendas. Non prohibentur parva foramina quibus videri possit quid rotae immittatur.

De egressu Monialium

18. Lex clausurae maioris Moniales adstringit ad perpetuo manendum intra Monasterii saepta quatenus haec ab auctoritate eccle-

siastica clausura circumscripta sunt et ab eis minime sub quovis praetextu recedendum, etiam ad breve tempus, extra casus iure praevisos aut legitime concessas licentias.

19. Non licet extra clausuram egredi occasione vestitionis, professionis, communionis, vel alia simili causa.

20. Moniales nequeunt ab uno ad aliud Monasterium transire etiam eiusdem Ordinis, nec ad breve quidem tempus, absque licentia apostolica, salvo iure particulari pro Foederationibus Monasteriorum Monialium legitime approbato.

21. *a*) Licet extra clausuram egredi casu imminentis periculi mortis vel alius gravissimi damni (can. 601, § 1). Tales casus sunt: incendium, inundatio, terraemotus, labefactio aedificii seu muri minaces, incursiones aëreae, irruptio militum, Monasterii urgens requisitio ex parte auctoritatis militaris vel civilis.

b) Insuper, urgens operatio chirurgica vel alia urgens cura medica foris requirenda ad salvandam sanitatem, morbus alicuius toti communitati vere periculosus.

c) Item, si gravis et urgens huiusmodi necessitas exsurgit apud Sororem externam vel personam eius munere fungentem, quae secus debitis careret auxiliis, Antistita per se ipsa vel per aliam Monialem, etiam cum socia, eam adire poterit.

d) Haec pericula (*a*), urgentesque graves necessitates (*b*), (*c*), scripto recognoscenda sunt ab Ordinario loci, si tempus suppetat (can. 601, § 2); secus, post factum, certior idem Ordinarius fiat.

22. Egressus legitimus censetur cum, praemissa declaratione Ordinarii loci, urget obligatio iura vel officia civilia exercendi.

23. Moniales quae facultatem e clausura egrediendi obtinuerunt tenentur recto tramite ad locum pro quo facultas data est sese conferre, nec, hac occasione, ad alia loca divertere valent.

Cum vero Moniales extra Monasterium versari contigerint, stricte servare tenentur normas et cautelas quae in casibus similibus sive in Codice (can. 607), sive a S. Sede, sive ab Ordinariis religiosis mulieribus imponuntur (can. 607).

24. Gravia adiuncta seu absolutae et morales necessitates atque magni momenti utilitates iustas et canonicas causas constituere possunt proportionatas dispensationes et etiam aliquas moderatas et accurate definitas habituales facultates a S. Sede expostulandi.

Talia adiuncta sunt:

1) sanitas extra Monasterium curanda;

2) visitatio instituenda apud medicum, praesertim in re peritum, v. g. pro oculis, pro dentibus, ad applicationem radiorum, pro observatione medicali;

3) comitari vel visitare Monialem foris aegrotantem;

4) supplere sorores externas vel similes personas in casu deficientes;

5) vigilantiam exercere circa agros, fundos, aedificia, vel aedes quas Sorores externae inhabitant;

6) actus administrationis vel gestionis oeconomicae magni momenti qui aliter non aut vix recte vel male fieri possent;

7) labor monasticus tam apostolicus quam etiam manualis;

8) susceptio officii in alio Monasterio, hisce similia.

b) In harum dispensationum et facultatum usu adamussim servari debent et limites impositi et cautelae praescriptae.

25. Facultates habituales, sive ad definitum tempus, sive ad signatum casuum numerum, Ordinariis locorum vel Regularibus vel Adsistentibus religiosis pro brevibus egressibus e clausura in necessitatibus frequentius occurrentibus, concedi prudenter possunt. Ipsae Sanctae Sedis nomine exercendae semper sunt, nec ullo modo extendi valent sed intra proprios limites continendae erunt.

De ingressu extraneorum

26. *a*) Ordinarius loci aut Superior regularis, si Monasterium ipsi subiectum sit, Delegatus ab alterutro vel a S. Sede potest clausuram ingredi occasione visitationis canonicae, ad aedes dumtaxat inspectandas ad normam iuris (can. 512 et 600), cauto ut unus saltem clericus vel religiosus, etiam conversus, maturae aetatis Visitatorem continuo comitetur ab ingressu usque ad egressum, atque mansio non protrahatur ultra tempus inspectione requisitum, nec simul alia negotia tractentur vel alii perficiantur actus qui dictam inspectionem non respiciant.

b) Visitatio vero personarum in comuni locutorio fiat, visitatore extra clausuram manente, nisi agatur de audienda Moniali infirma quae ad locutorium sese conferre nequeat.

c) Ad alia officia exercenda, videlicet ad explorationem voluntatis candidatarum, ad praesidentiam electionum, ad visitationem

vel professionem et similia, Praelatus vel Delegatus clausuram ingredi non potest, sed haec omnia forinsecus peragere debet.

27. *a*) Confessarius communitatis, vel servatis servandis, quilibet alius Sacerdos potest, cum debitis cautelis, ingredi clausuram: ad ministranda infirmis Sacramenta Poenitentiae, Ss. Eucharistiae et Extremae Unctionis; etiam ad assistendum morientibus, imo ubi mos est et tunc una cum ministris iuxta rubricas, ad defunctas tumulandas. Non admittitur ingressus sacerdotum ad alia ministeria persolvenda.

b) Cautelae autem iuxta casus fideliter observandae sequentes erunt:

Pro ministranda S. Comunione, Sacerdotem comitentur ab ingressu ad egressum saltem duae Moniales. Nihil tamen prohibet quominus tota Communitas, iuxta consuetudines, processionaliter Sanctissimum comitetur.

Pro recipiendis confessionibus: Sacerdotem comitentur duae Moniales usque ad cellam infirmae, quem expleta confessione, statim ad exitum reducant. Item quoad Extremam Unctionem vel assistentiam morientibus.

28. Verbi Dei praedicatio fieri debet ad crates chori vel locutorii; si hoc commode fieri nequeat, adeatur Sancta Sedes ad obtinendam facultatem conciones habendi in ipso choro vel in aula capitulari vel, annuente Ordinario loci, in ecclesia ad quam in casu extenditur clausura, ianuis ecclesiae tunc clausis.

29. Ingredi possunt clausuram Monialium:

a) qui supremum actu tenent in aliquo Statu etiam Foederato principatum, quocumque nomine vocentur (C. I. C., 26 Martii 1952. *A.A.S.* XLIV [1952], p. 496), eorumque uxores cum comitatu.

b) S. R. E. Cardinales, qui unum alterumve comitem clericum vel ex familia cardinalitia laicum sibi assumere possunt.

c) Medici, chirurgi aut aliae personae in curandis infirmis versatae, architecti, opifices, operarii et aliae huiusmodi personae quarum opera, iudicio Antistitae, est Monasterio necessaria, impetrata prius habituali saltem approbatione ab Ordinario loci. Talem approbationem Antistita sibi procurare potest initio cuiusque anni, elenchum personarum Ordinario exhibendo. Si vero necessitas urgeat nec tempus suppetat approbationem petendi, haec iure praesumitur.

30. Personae quae frequenter in clausuram admitti debent sint optimae famae ac moribus praestantes.

31. Salvis Constitutionibus et Statutis quae rigidiores normas praescribunt, personae quae legitime clausuram ingrediuntur sive in accessu sive in regressu, cum per ipsas Communitatis aedes transeunt, ducantur a duabus Monialibus.

32. *a*) Quavis de causa ingressus permittatur, ingredientes nequeunt in monasterio versari ultra tempus vere necessarium ad finem pro quo licentia data fuit.

b) Praeter illas quae ratione officii id facere debent, nulla ex Monialibus cum personis Monasterio extraneis intra ipsum versantibus colloquatur.

33. *a*) Educationis accipiendae, propriae vocationis per breve tempus experiendae causa vel alia pietatis seu apostolatus ratione puellas seu mulieres, salvis praescriptis Const. *Sponsa Christi*, absque speciali S. Sedis licentia intra clausuram admittere non licet. (Const. *Sponsa Christi*, art. IX, § 2, nn. 1 et 2).

b) Item ad S. Sedem recurrendum est ad obtinendas licentias speciales in favorem Sororum externarum quae in Statutis approbatis non continentur.

34. Postulantes (can. 540) sola licentia Ordinarii loci clausuram ingredi possunt.

De custodia clausurae

35. Ius et officium est Ordinarii loci invigilare custodiae clausurae omnium Monasteriorum sui territorii, etiam Superiori regulari subiectorum, quamvis huic quoque hoc ius et officium in subiectis sibi Monasteriis (can. 603, §§ 1 et 2) demandetur.

36. In Monasterio autem custodia clausurae immediate pertinet ad Antistitam. Ipsa claves omnium clausurae portarum apud se diu noctuque retinere debet, eas solummodo tradens Monialibus quae variis officiis incumbunt quando illis indigent; salvo iure particulari alia insuper praescribente.

37. In iis quae respiciunt Monialium accessum ad locutorium (tempus et frequentiam, qualitatem personarum admittendarum, etc.) et modum ibi sese gerendi (velum, auscultatricem, etc.) serventur propriae Constitutiones. Si hae tamen quadam accommodatione indigere videantur, recursus ad S. Sedem faciendus est.

38. Moniales (cfr. *Sponsa Christi*, Statuta Generalia, art. I, § 1) (non Novitiae et Postulantes) e clausura maiore illegitime exeuntes, contra praescriptum can. 601, plectuntur ipso facto excommunicatione Sedi Apostolicae simpliciter reservata (can. 2342, 3°).

39. Eadem poena plectitur quaelibet persona, cuiuscumque generis, conditionis vel sexus est, clausuram maiorem violans, sive eam illegitime ingrediendo, sive in ipsam alios illegitime introducendo vel admittendo (can. 2342, 1°).

III

De clausura papali minore

De ratione clausurae papalis minoris

40. Clausura pontificia seu papalis minor his continetur finibus:

1) qua vere pontificia non secus ac clausura maior, observantiam et custodiam publicae solemnis castitatis atque vitam contemplativam Monasterii protegit atque fovet;

2) qua vero minor, etsi vere ac longe severior clausura Congregationum (can. 604), imo clausura Ordinum virorum (can. 598-599) sit, tamen facultatem praebet ac convenientem facilitatem ad apta quaedam et selecta ministeria Monialibus legitime concredita rite et fructuose exercenda (Instr. *Inter praeclara*, XI).

41. *a*) Clausura minor non quaecumque ministeria, sed ea tantum admittit seu patitur quae cum vita contemplativa, sive totius Communitatis, sive singularum Monialium amice coniunguntur (Const. *Sponsa Christi*, *A.A.S.*, l. c., p. 11).

b) Haec ministeria sive ex instituto, sive ex legitima concessione, sive etiam ex praescriptis Ecclesiae ob crescentes semper Eiusdem et animarum necessitates ita ordinate ac moderate, servata indole et spiritu singuli Ordinis, suscipiantur ut vitam authentice contemplativam nedum turbent aut afficiant, alere potius et roborare debeant (Const. *Sponsa Christi*, l. c., et art. IX).

c) Talia sunt: doctrinae christianae traditio, instructio religiosa, educatio puellarum et puerorum, recessus et exercitia mulierum, praeparatio ad primam Communionem, opera caritatis in levamen aegrotorum, pauperum, etc.

42. *a*) Clausura minor necessario adhibenda est ubi pleraeque

sive plures Moniales et notabilis pars Monasterii habitualiter operibus apostolatus destinantur (Statuta Generalia, art. IV, § 3, 2).

b) E contra, si paucae tantum Moniales addicuntur operibus et arctis limitibus Monasterii ipsa contineantur seu contineri practice et prudenter valeant, tunc servari poterit, de indicio S. Sedis, clausura maior cum debitis facultatibus seu dispensationibus, iuxta superius dicta (n. 9).

Divisio Monasterii

43. Imprimis, aedes Monasteriorum quae, propter ministeria exercenda, clausurae minori subiecta sunt, in duas partes divisae sint oportet, quarum prior Monialibus ipsis reservetur, altera vero operibus apostolatus addicatur (Instr. *Inter praeclara*, XI, 5).

44. *a*) In parte Monialibus reservata ad modum clausurae maioris, contineri debent: cellae, chorus, aula capitularis vel alia huiusmodi, refectorium, culina, loca recreationis seu deambulationis et laboris ipsius Communitatis, locutoria a latere quo ad ea accedere possunt omnes Moniales.

b) In hac parte aedium contineri nequeunt: loca quae inhabitant Sorores externae, habitationes et loca hospitibus destinata; ecclesia cum sacristia et locis adnexis, salvo n. 12.

45. *a*) Altera pars Monasterii reservata est operibus seu ministeriis apostolatus, ab ipso Monasterio exercitis. Inde haec aedium pars, pari ratione patet tum Religiosis quae legitime operibus ac ministeriis inserviunt tum aliis a quibus apostolatus dirigitur.

b) Ecclesia et oratorium publicum, locave eisdem adnexa et alia de quibus in art. 12 *b*), non intra sed, ex regula, extra hanc alteram Monasterii partem exstare debent.

Excipi possunt tam in Ecclesia quam in eidem adnexis locis, aulae seu cubicula quae operibus apostolatus legitime reserventur. Imo, etiam tota Ecclesia quae habitualiter fidelibus omnibus pateat, urgente necessitate poterit de consensu Ordinarii loci aedibus ministeriis destinatis illo tempore durante accenseri quo in ipsa Moniales propria ministeria exercere cogantur, dummodo illa observentur fideliter quae infra praescribuntur, prudentibus cautelis adhibitis.

46. *a*) Non admittuntur loca quae modo Communitati, modo operibus apostolatus alternatim reserventur.

b) Attamen Ordinarius loci rationabili de causa permittere poterit ut sive ad actum sive etiam ad quoddam definitum tempus, aliqua loca habitualiter operibus destinata, Communitati addicantur, extensis tunc ad haec loca omnibus regulis ac praescriptis quae pro parte Monasterii habitualiter Communitati reservata supra recensentur.

47. Etiam circa partem Monasterii operibus reservatam impediri debet hinc inde prospectus. Si forte non eodem rigore quo pro parte Monasterii Monialibus reservata prospectus omnino vitari possunt, Ordinarius prudenter atque accurate provideat.

48. *a*) Presse divisio utriusque partis Monasterii definienda est atque patenter indicanda ut clare omnibus innotescat.

b) Ianuis quae Monasterii partem Monialibus reservatam claudunt (n. 49, *a*) illa omnia applicantur praescripta quae pro clausurae maioris portis constituta sunt.

c) Si totius Monasterii una sit tantum in via publica porta quae extraneis aditum praebet, alia necessario interna insuper porta rite custodita haberi debet qua personae admittendae, ad operum aedes ducantur.

49. Transitus Monialium a parte Communitatis ad partem operum:

a) Per ianuam specialem semper directe fiat;

b) Legitime designatis temporibus illisque solis Monialibus licet quae ab Antistita sive ad actum sive habitualiter, iuxta Constitutiones seu Statuta, operibus addicantur. Inter has etiam ipsa Antistita vel Monialis ab ea designata, etiam solius debitae vigilantiae exercendae causa, recenseri debent.

c) Monialibus in aedibus operum legitime exstantibus pateant ibi specialia locutoria, non necessario cratibus munita, aptis tamen cautelis praedita, in quibus ipsae, intuitu operum tantum, colloqui cum extraneis poterunt.

De egressu Monialium

50. *a*) Clausura minor gravem prohibitionem secumfert, pro omnibus ac singulis eidem subiectis, egrediendi extra saepta Monasterii eadem ratione ac clausura maior pro Monialibus aliisque ipsa ligatis (Instr. *Inter praeclara*, XII, 2).

b) Dispensationes ab hoc gravi praescripto *a*) ratione aposto-

latus concedi possunt, si vere necessarium sit, illis tantum Monialibus et Sodalibus quae legitime, iuxta superius dicta (n. 49) ministeriis addictae sint.

c) Egrediendi licentia pro casibus hic (n. 51) vel in propriis Constitutionibus recognitis, quamdiu certo exsistant, onerata ipsius conscientia, ab Antistita concedi possunt. In aliis casibus, qui iure expressi non sint, etsi non obscure ob rationis paritatem recognitis aequiparari possunt, ad Ordinarium loci recurrendum erit ut ipse, re in Domino ponderata, licentiam concedat et, si censuerit, rem in posterum Antistitae remittat.

d) Tam Ordinarius loci quam Superior regularis quibus clausurae tutela commissa est (can. 603), stricte onerata conscientia, harum normarum observantiam vigilare diligenter tenentur.

51. Capita ex quibus generatim praescripta ministeriorum necessitas aestimari potest, ut iusta egrediendi dispensatio concedi valeat (n. 50, *c*), haec tria recensentur:

a) *Ratione ipsius ministerii* quod de facto ut efficaciter exerceri possit egressum exigat ut e. g., si puellae comitandae necessario extra clausuram sunt ratione studii, sanitatis, recreationis nec praesto adsint magistrae, oblatae, vel aliae personae quae huic officio satisfacere valeant.

b) *Ratione praeparationis ad ministeria*, scilicet: ad scientiam, culturam, titulos, habilitationes comparanda, indeque ad scholas, lycaea, universitates, collationes, congressus quae necessario videantur frequentanda. Si ex his nonnulla instituta adeo sint laicalia et profana ut periculum virtutibus religiosis immineat vel scandalum ex frequentatione oriri possit, semper prius Ordinarius loci consulendus est. Quovis in casu Instructiones a S. Sede latae, servandae sunt.

c) *Ratione negotiorum, causarum quaestionumve* quae ad ministeria spectant nec tuto vel convenienter apud auctoritates ecclesiasticas vel civiles aut apud officia publica seu privata per alias personas tractari et expediri possint.

De ingressu extraneorum

52. Leges circa ingressum in clausuram maiorem aeque applicantur Monasteriis clausurae minoris quod attinet ad partem Monialibus reservatam (Instr. *Inter praeclara*, XII et supra n. 26 et seq.).

53. *a*) Partem Monasterii operibus addictam, mulieres seu puellae vel pueri quibus eadem opera destinantur, ingredi possunt, ibique, etiam diu noctuque, iuxta naturam operum commorari.

b) Idem valet pro mulieribus quae operibus necessariae sunt, ut magistrae, nosocomae, ancillae, operariae.

54. *a*) Ad actum seu transeunter admitti possunt aliae personae peculiari vinculo cum iis devinctae ad quas opera diriguntur, v. g. parentes seu coniuncti aut benefactores puellas seu pueros comitantes vel visitare cupientes; eosdem vel etiam alios quos oportet aut decet, iuxta naturam operis et usus locorum, invitare licebit, ad quasdam festivitates seu demonstrationes, quae dicuntur, religiosas vel scholasticas.

b) Haec omnia in Statutis vel Ordinationibus legitime approbatis opportune definienda sunt.

55. Admitti autem debent omnes quibus iure ecclesiastico vel ordinatione civili legitime munus inspectionis cuiusvis generis demandatum est.

56. Non minus, uti par est, quam in partem Monialibus reservatam (can. 600, 4°), in partem operibus destinatam admitti possunt, ob necessitatem, medicus, operarii et alii huiusmodi viri, ex licentia etiam habituali Ordinarii loci (n. 29, *c*).

57. Ordinarii loci licentia requiritur et sufficit pro ceteris casibus necessitatis vel verae utilitatis qui supra (nn. 54-56, *a*) vel in propriis Operum Statutis non praevidentur.

58. Firmis pro parte Monialibus reservata omnibus circa clausuram maiorem praescriptis, etiam circa mitiorem clausuram quae partem operibus destinatam afficit, ius est et officium Ordinarii loci et, si casus ferat, Superioris regularis, necnon, servatis servandis, Auctoritatis Foederationum, stricte invigilare atque, si id requiratur, opportunas, praeter illas quae iam propriis Statutis ordinentur, cautelas ad custodiendam et tutandam clausuram praescribere.

De custodia clausurae

59. *a*) Immediata huiusmodi clausurae custodia Antistitae committitur.

b) Claves transitus ab una ad alteram partem Monasterii teneat ipsa, vel Monialibus prudenter tradat quae operibus addictae sint.

c) Claves aliarum portarum in aedibus operum ne concredat nisi personis omnino tutis.

60. Moniales illegitime e saeptis Monasterii exeuntes excommunicatione Sedi Apostolicae simpliciter reservata ad normam can. 2342, 3°, vel, ex expressa S. Sedis concessione, Ordinario loci reservata, ipso facto plectuntur (Instr. *Inter praeclara*, XV, 1).

61. *a*) « Moniales illegitime egredientes e partibus Monasterii Communitati reservatis ad alia loca intra saepta Monasterii posita, a Superiorissa vel ab Ordinario loci pro gravitate culpae puniendae sunt » (Ib., 2).

b) Transitus autem est illegitimus quoties fit absque licentia saltem habituali vel rationabiliter praesumenda Antistitae.

62. « Illegitime ingredientes et eos introducentes vel admittentes in partes Monasterii Communitati reservatas, excommunicationem S. Sedi simpliciter reservatam incurrunt » (Ib. 3).

63. « Illegitime ingredientes et eos introducentes vel admittentes ad loca Monasterii extra partes Communitati destinatas, ab Ordinario loci ubi Monasterium adest, severe pro gravitate culpae puniantur » (Ib. 4).

IV

Clausura papalis et Foederationes

64. Statuta Foederationum illa decernere possunt circa clausuram, sive maiorem, sive minorem, Monasteriorum Foederatorum quae ad fines Foederationis obtinendos necessaria aestimantur.

65. Ad regimen quod attinet, facultas decerni potest egrediendi proprium Monasterium et ingrediendi aliud: ad coadunandum Capitulum, Consilium vel aliud huiusmodi conventum; ad instituendas ab Auctoritate Foederationis eiusve delegatis opportunas Visitationes; ad arcessendam, vel, servatis servandis, transferendam Superiorissam vel aliam Monialem.

66. Ad fraternam Monasteriorum collaborationem fovendam, eadem facultas decerni potest: ad suscipiendum in alio Monasterio officium electione vel nominatione collatum; ad cuiusvis generis auxilium alii Monasterio praestandum vel ipsius necessitates sublevandas; imo, ad bonum privatum alicuius Monialis intra limites tamen in Statutis praefinitos.

67. Ad Monialium meliorem formationem, conditis ad hoc aedibus communibus, facultas agnosci potest clare in Statutis definienda, eas adeundi, in eis permanendi et ab eis redeundi, pro iis Monialibus quarum ex legitima destinatione seu revocatione interest.

68. *a*) Ad clausurae uniformem observantiam in Monasteriis Foederationis, nonnulla valent Statuta decernere.

b) Eodem fine *a*), salvisque semper iuribus Ordinariorum locorum et Superiorum regularium, etiam speciales interventus Assistentium religiosorum vel Superiorissarum Foederationis statui possunt quod attinet ad petitiones S. Sedi circa clausuram forte porrigendas, ex. gr. de itineribus extraordinariis suscipiendis, de commoratione extra Monasterium protracta deque aliis huiusmodi rebus.

69. Ad Monasteria Foederationis quod attinet, quae operibus apostolatus incumbunt et communi clausurae minori subiciuntur, Statuta decernere valent: quaenam opera suscipi possint, quasnam personas in aedes operum admittere liceat, sive habitualiter sive transeunter, quanam ratione et quibusnam conditionibus seu cautelis.

V

Instauratio clausurae papalis

70. *a*) Omnia Monasteria Monialium clausuram pontificiam seu papalem observent oportet, sive maiorem, sive minorem iuxta criteria supra exposita.

b) Pro Monasteriis Monialium quae quamvis vitam contemplativam unice profiteantur, operibus tamen apostolatus legitime incumbunt, eo modo quem supra descripsimus (n. 41, *a*), nisi iam provisum fuerit ab ipsa S. Sede post editam Constitutionem Apostolicam « *Sponsa Christi* » (*A.A.S.*, XXXXIII, p. 5 ss.), Ordinarii loci erit, una cum Superiore regulari, si Monasterium ei subest, clausuram papalem minorem inducere,

c) In casibus dubiis res S. Sedi deferenda erit.

d) In futuro semper S. Sedes adeunda erit pro transitu a clausura papali maiore ad clausuram papalem minorem, propter rationes supra expositas (n. 41).

71. Loci Ordinarii est cum clausura papalis minor inducitur, fines clausurae praescribere (can. 597, § 3) et destinationem loco-

rum Monasterii Communitati vel operibus atque necessariam separationem inter ipsa recognoscere et approbare.

72. Si peculiares difficultates, sive temporariae, sive habituales, clausurae pontificiae seu papalis instaurationi obstent, res ad S. Sedem deferenda est, adiunctis fideliter expositis.

73. *a*) Statuta, Indulta, Privilegia, Dispensationes quorum vi quaedam Monasteria, retenta tamen conditione iuridica Monialium, eximebantur clausura pontificia seu papali, revocantur (*A.A.S.*, l. c., p. 12; Responsum C. I. C., 1 Martii 1921, *A.A.S.*, vol. XIII, p. 178).

Idcirco, clausura quae « episcopalis » dicitur, pro Monialibus in posterum iam agnosci non poterit.

b) Salva vero manent Statuta peculiaria quibus clausura papalis minor pro Monialium Ordinibus, ex instituto, operibus apostolatus deditis, pressius ordinatur et aptatur.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, die 25 Martii 1956.

\+ Valerius Card. Valeri, *Praefectus*

L. + S.

P. Arc. Larraona, *Secretarius*

(*A.A.S.*, vol. 48, pag. 512-526).

ADNOTATIONES

Potissima elementa in figura juridica monialium, etiam postquam initium habuerunt monasteria cum quibusdam apostolatus operibus, recensetur vota solemnia et clausura papalis. Monialis, seu tunc religiosa, non concipiebatur absque votis sollemnibus et vota sollemnia necessario secumferebant et adhuc in Codice secumferunt obligationem clausurae papalis. (can. 597, § 1).

1. Clausura, praesertim post Concilium Tridentinum et leges a S. Pio V latas, ad Monialium figurae iuridicae substantiam in Ecclesia ita transiit ut ipsa deficiente character Monialium et vota solemnia constanter negarentur et, si possessa, auferentur.

2. Cum vero, ex elementis substantialibus instituti iuridici Monialium, clausura potissimum rationem vitae et relationes cum mundo externo ordinet ac disponat, ipsa quam maxime vicissitu-

dines et mutationes persentit quae societatem personasque afficiunt.

Ipse finis, ad quem assequendum clausura ordinatur, notabiliter variari potest, et de facto mutatur, consequenterque media seu normae quibus clausura regitur mutationes seu accomodationes pati valent, prout potissimum castitatis vel spiritus recollectionis tuitio intendatur, in ambitu sociali cuius mores et ratio vitae notabiliter mutantur.

3. Ex alia parte ipse finis seu propositum vitae religiosae nonnullorum Ordinum saec. XVI et deinceps institutorum apostolatu directo ditatur, uti in Monasteriis Ordinis S. Ursulae, in Monasteriis Ordinis S. Augustini, Congregationis Dominae Nostrae S. Petri Fourier, in Ordine Dominae Nostrae a S. Joanna de Lestonnac, in Ordine Dominae Nostrae a Charitate S. Joannis Eudes, in Monasteriis Hospitalariarum a Misericordia in Gallia, Canada et alibi extantium. Quapropter quaedam necessaria compositio inter separationem ab externis personis et communicationem cum aliis, quarum bono spirituali Moniales incumbunt, locum habuit.

Haec compositio illis Monialibus, deinde extensa, de facto, etsi non ex instituto, operibus apostolatus incumbentibus, potius in hoc consistebat quod legi clausurae mulieris et alumnae, curae Monialium commissae, partim saltem subiectae fuerunt.

Cum vero, ex civili legislatione et politicis vicissitudinibus Monialium in claustris stabilitas et a mundo exteriore separatio non sufficienter tutae aestimarentur, vel ex ratione operum apostolatus, haec difficulter in locis traditionali clausurae subiectis exerceri possent, frequenter Monasteria ipsum charactere iuridicum Monialium proprium et solemnitatem votorum amiserunt.

4. Nostris autem temporibus, funditus socialibus moribus innovatis et admodum frequenter vitae contemplativae Monialium moderato et convenienti exercitio apostolatus addito, ratio vitae Monialium cum mundo externo attente considerata et prudenter a Summo Pontifice per Constitutionem Ap. « *Sponsa Christi* » diei 21 nov. 1950 et ex mandato Summi Pontificis a S. C. de Religiosis per Instr. « Inter praeclara », diei 23 nov. 1950, et praesentem Instruct. « *Inter cetera* » diei 25 martii 1956, renovata fuit.

5. Criteria quibus clausurae accomodatio tota inspiratur haec recensentur:

a) Recollectionis ambitus vitae contemplativae necessarius praesupponitur, et a mundo exteriore, familiaribus non exclusis,

perpetua separatio nullam relaxationem patitur; si quae tamen normae variantur, spiritus clausurae intactus permanere intenditur.

b) Innovationes seu accomodationes illae tantum inducuntur quae in primis omnino ab operibus apostolatus exiguntur.

c) Aliae innovationes seu dispensationes praevisae habentur, quando, ex mutatis adiunctis, omnino id necessarium habetur ad bonum publicum vel ad bonum Monasterii vel Monialium quibus aliter provideri nequit, necessariis cautelis semper servatis.

d) Nulla clausurae papalis cuiusvis generis relaxatio datur ad personalem satisfactionem vel familiare seu personale commodum.

e) Abusus, si qui introducti sint, vel concessiones contrariae revocantur ne rigor clausurae et necessarius recollectionis spiritus praepediantur.

Praefata principia explicite vel implicite in omnibus praesentis Instructionis articulis apparent et vim exercent.

6. Praesens Instructio plurima magis definit et ordinat quae, experientia aliquorum annorum testante, adhuc indeterminata in instituto clausurae papalis maioris et minoris apparebant, normasque practicas tradit pro instauratione praesertim clausurae papalis minoris.

7. In n. I Instructio fundamentum adimit rumoribus et notitiis pluries prolatis de mitigatione seu relaxatione clausurae papalis sive tamquam stricta obligatione sive tamquam completa ab exteriore mundo separatione intellecta.

Clausura papalis omnimodo obligatoria remanet pro omnibus quae nomen et conditionem iuridicam Monialium appetunt; quinimmo ipsa constituitur tamquam conditio sine qua non pro retentione nominis et regiminis Monialium in illis Monasteriis quae ex dispositione S. Sedis vota tantum simplicia emittunt.

Norma traditionalis confirmatur per recentia Documenta: dari nequit nec conditio nec nomen Monalium absque observantia clausurae papalis, ita ut clausura papalis pro figura iuridica Monialium magis necessaria apparet quam ipsa solemnitas votorum.

Quapropter in accomodata renovatione disciplina Monialium clausura omnino modo obligatorio restauranda erit cum amissa fuerit.

8. Instructio in n. 8 normam absolutam continet vi cuius Monasteria quae non tantum de iure sed etiam de facto vota solemnia profitentur insimulque vitae contemplativae unice vacant clausuram papalem et quidem maiorem servare tenentur.

Urgetur clausura papalis etiam pro Monasteriis unice vitae contemplativae deditis in quibus nihilominus vota tantum simplicia de facto emittuntur.

Cum propria ratio inducendi clausuram papalem minorem sit exercitium operum apostolatus, quibus extantibus Monasterium in duas partes divisum supponitur, una pro communitate exclusive et altera pro operibus, fundamentum deesse videtur pro clausura papali minore Monasterii in quo desint opera apostolica.

Praesenti articulo Instructionis, sicuti in art. IV, § 3, 3 Const. « *Sponsa Christi* » et in art. V Instr. « *Inter praeclara* » implicite admittitur aliud criterium et clausurae papalis minoris aliqualis mitigatio in sanctionibus quibus clausura munitur, vi cuius v. g. absolutio ab excommunicatione non amplius S. Sedi sed Ordinario reservatur.

De facto erit tamen quid omnino exceptionale, quod locum nondum habuit.

9. Monasteria magni aestimant clausuram papalem maiorem atque censent minorem gradum inferiorem esse, ideoque pluries aegre ferunt instaurationem clausurae papalis minoris loco maioris.

Nomen forsan magis quem res hanc opinionem fundat: nihilominus ad favendum spiritum clausurae praevidentur possibilitas servandi clausuram maiorem, si operum apostolatus exercitium minime vitam communitatis tangit, quatenus solummodo aliquae Moniales ipsis incumbunt seu minima pars, comparate ad numerum aliarum, et loca in quibus exercetur apostolatus accurate et plene separantur ab aliis in quibus Communitas vitam suam degit.

Hac concessione periculum excludendum est iterum inducendi personas extraneas in ipsam communitatem, cui periculo diversimode praecavetur: vel opera apostolatus, v. g. catechismus, in locis clausurae adnexis sed ad extra locatis exercendo, cum facultate pro Monialibus ad hoc deputatis ad illa loca accedendi vel personas quibus apostolatus dirigitur admittendo in clausuram sed in locis tamen bene separatis ita ut nullam communicationem habeant cum Monialibus.

Idem principium continetur in art. 42, b.

10. Aliquid novi et valde utile habetur in art. 12 quo pluribus casibus praevidetur.

Hucusque quando ex defectu Sororum externarum opera Monialium necessaria videbatur pro cura ecclesiae, sacristiae aliorumque locorum adnexorum, S. Congregatio dabat quibusdam Monialibus facultatem a clausura egrediendi et ad praedicta loca acce-

dendi, pariter id fiebat pro locutoriis et locis circumstantibus; num vero, ex praescripto art. 12, Ordinarius ad praedictum effectum obtinendum valet pro tempore necessario limites clausurae extendere seu transferre.

Itaque omnibus Monialibus durante illo tempore permittitur in praedictis locis versari et operam praestare.

Extensa clausura ad haec loca, accessus extraneorum ad ipsa, durante illo tempore, eadem ratione regitur ac accessus ad loca constanter clausurae subiecta; similesque valent cautelae et praescriptiones pro accessu impediendo.

Per concessionem in Instructione contentam implicite comprobatur quod Ordinarii locorum, quorum est fines clausurae praescribere (can. 597, § 3) nequeunt ad libitum definitos fines extendere vel restringere, ita ut idem locus modo in clausura et modo extra clausuram habeatur.

11. Innovatio quoque habetur in modo quo clausura circumscribenda seu defendenda sit: muri alti constanter habiti sunt tamquam necessarii ad clausuram constituendam, nunc autem permittitur ut clausura claudatur seu muniatur ab accessu extraneorum alio modo, qui revera efficax censeatur.

Ideoque ratio legis in primis prae oculis habenda erit, et alii modi defendendi clausuram admittuntur, dummodo revera efficaciter impediant accessum extraneorum. Uti exempla adducuntur clausura ex tabulis ligneis, ex reti metallica, ex saepe firma et densa.

Iudicium de efficacitate et firmitate defensionis clausurae, cum muri absunt, reservatur Ordinariis necnon Superioribus regularibus, qui omnes circumstantias perpendere debent.

Faciliter, praesertim nostris temporibus, intelligitur ratio innovationis: aliquando expensae pro muri aedificatione grave pondus secumferunt; alias, muri non permittuntur.

12. In art. 15 innuitur favor S. Sedis pro hodierna tendentia qua spiritus liturgicus favetur per arctiorem participationem actibus cultus, quapropter statuitur clausuram non impedire quominus Moniales videre valeant altaria et celebrantem: non abrogantur tamen praescriptiones iuris particularis quae aliter statuunt.

13. Non raro quaestiones agitantur de ratione qua confici debent crates in Monasteriis. Legislator, in primis retinet antiquam normam de duplici crate aliquo spatio inter utramque interiecto ad praeveniendam possibilitatem tactus inter personas extra et perso-

nas intra clausuram sitas; admittit tamen quod finis praedictus alio modo, dummodo sit efficax, attingatur, v. g. per transennas marmoreas vel ligneas satis spissas.

Semper salvum manet particulare ius quod maiorem severitatem urget, uti insertionem veli ne Moniales videantur.

Norma art. 16 afficit crates locutorii; etsi communiter eadem ratione conficiantur ac crates chori.

14. Instructio, attento can. 601, § 1 et praescripto art. VII, 1° praecedentis Instr. « *Inter praeclara* », confirmat vetitum egrediendi e clausura etiam ad solum momentum « *quovis praetextu vel colore* », praeterquam in casibus a iure praevisis vel speciali facultate habita a S. Sede; enumerat quoque nonnullos casus seu occasiones exitus, nempe vestitionem, professionem, communionem.

Sive propter angustiam locorum in Monasterio, sive ad consolationem parentum vel fidelium aedificationem, quae rationes non sunt certo spernendae, praefatae coeremoniae desiderantur et celebrantur in ecclesia. S. Sedes aliena non apparet ad necessariam facultatem concedendam, solet vero praescribere ut aliqua clausura servetur etiam in ecclesia durante accessu et coeremonia per opportunam separationem v. g. ope transennarum obtentam.

Occasione praedictarum coeremoniarum quidam usus instaurati sunt non certe spiritui clausurae respondentes v. g. portae clausurae aperiuntur ad hoc ut parentes quin clausuram ingrediantur valeant filias osculari vel amplecti.

S. Sedis erit solvere difficultatem inter praescriptum Pontificalis quod in coeremonia consecrationis virginum supponit consecrandas virgines ad ecclesiam accedere et normam can. 601, § 1, a praesenti Instruct. confirmatam.

15. Art. 21 interpretare videtur verba can. 601, § 1 « *aliud gravissimi mali* », cum, praeter periculum mortis, nonnullos alios casus enumerat in quibus gravissimum malum locum habet et ideo in iisdem licet Monialibus e clausura egredi. Huiusmodi sunt, inter alia, etiam requisitio urgens Monasterii tempore pacis vel belli (art. 21, a), urgens operatio vel cura medica non solum ad praecavendum periculum mortis sed ad morbum grave praeveniendum vel curandum scilicet pro sanitate servanda vel recuperanda, idem valet si necessitas exsurgit ex parte Sororum vel personarum servitio externo Monasterii addictarum.

Isti casus, sicuti alii classici de quibus in canone, urgentes supponuntur et moram non admittentes quae necessaria esset ad Ordinarium loci adeundum.

Praescriptum Codicis etiam completur a praesenti Instructione per relationem Ordinario loci, etiam post factum, peragendam: hac obligatione praecavetur periculum nimis late interpretandi et applicandi facultatem per art. 21 concessam.

Ad necessitatem tamen evitandi gravissimum damnum reduci valet facultas in art. 22 tributa vi cuius licet e clausura egredi cum urget obligatio exercendi iura vel officia civilia.

Ipsius Ordinarii loci erit declarare an adiuncta habeantur quae exercitium iurium civilium v. g. pro electionibus politicis vel administrativis, obligatorium reddant ratione gravi damni quod praecaveri debet.

Non merum factum exercendi aliquod ius civile legitimat egressum e clausura, sed potius damnum evitandum per illud exercitium. Quod si nullum damnum timetur, cum nemo teneatur uti iure proprio, non licet e claustris egredi.

Ad dubia vero et anxietates tollenda opportune facultas datur Ordinariis loci declarationem emittendi: eorumdem conscientiae relinquitur determinatio an de facto adsit damnum vitandum et an gravitas damni talis sit ut secumferat obligationem ius civile exercendi et ideo clausuram derelinquendi.

16. In casibus in art. 21-22 contentis ipso iure facultas tribuitur clausura egrediendi, in art. 24 autem casus et circumstantiae enumerantur quae S. Sedem movere solent ad egressum permittendum, ideoque canonicae causae habentur postulandi facultates.

Non agitur tunc de gravissimo malo vitando vel saltem non de casu urgenti, supponitur vero semper grave malum praecavendum vel magni boni assecutio cuius privatio aequivalet gravi damno.

Modo generico affirmat Legislator hoc locum haberi quando adiuncta ita gravia sunt ut constituant necessitates absolutas vel saltem morales extra clausuram aliquid peragendi ad damnum grave vitandum. Enumerantur deinde casus qui potius exemplificativi sunt, non taxativi; adiuncta diversa esse possunt in diversis Monasteriis eademque adiuncta diversas consequentias secumferre valent.

In perpendendis adiunctis et in iudicando nocumento quod timetur ratio habenda est immutatorum morum socialium, quod praesertim attinet ad sanitatis curam (nn. 1, 2, 3), activitates quae in Monasteriis exercentur (nn. 5, 7), defectus personarum pro auxilio praestando (nn. 4, 5, 6).

Ideo revera aliqualis renovata accommodatio legis clausurae papalis per recentiora documenta pontificia inducta est.

In relatis adiunctis accommodatio in hoc consistit quod dispensationes praevidentur dandae praeterquam a S. Sede etiam a Superioribus ecclesiasticis vel religiosis vi facultatum eisdem delegatarum.

Instructio praevidet facultates dandas vel Ordinariis locorum vel Superioribus regularibus vel Adsistentibus religiosis Foederationum: de facto dantur etiam Nuntiis vel Delegatis Apostolicis; non dantur vero ipsis Abbatissis vel Superiorissis Monasteriorum.

Non necessario omnes facultates hic praevisae cuilibet tribuuntur Ordinario vel eadem norma et clausulis. Omnes vero adamussim servare tenentur limites in concessione appositos aliasque clausulas seu conditiones adimplere. In genere, exceptis casibus frequentius occurrentibus, imponitur relatio sub fine cuiuslibet anni, vel triennii, facienda de usu facultatis.

17. Legislator sollicitus est de spiritu clausurae tuendo etiam cum legitime Moniales claustro derelinquere coguntur, et in art. 23 explicite obligationem imponit ad illa loca tantum accedendi pro quibus ratio egressus habetur et quidem breviore via seu recto tramite.

Non licet ergo occasione egressus visitationem peragere ad familiares proprios vel peregrinationem instituere: quodsi aliqua Monialis hoc fecerit non tamen legem clausurae violat nec sanctiones incurrit.

Prohibitio in art. 23 sancita magni momenti potissimum nostris temporibus habetur cum frequentiores sint egressus e clausura.

Etiam quando egressus in Statutis Foederationum praevidetur praedictis subiicitur limitationibus.

18. Quoad extraneorum in clausuram ingressum revera nil magni momenti innovatum est; traditionalis severitas confirmatur et spiritus clausurae urgetur; quapropter in art. 32, a) sancitur obligatio coarctandi permanentiam in Monasterio tempori stricte necessario, pro ipsis S. R. E. Cardinalibus determinatur ipsos non posse secum ducere nisi unum alterumve comitem (art. 29, b) et pro postulantium ingressu supponitur licentia Ordinarii loci (art. 34).

19. Aliquid novi in Instructione continetur nempe praedicationem verbi Dei, si necessarium, fieri posse in ecclesia de sola licentia Ordinarii loci.

De clausura papali minore

20. In art. 40 ad notionem clausurae minoris quod attinet asseritur ipsam longe severiorem esse clausura quae a iure communi

praescribitur pro Congregationibus mulierum (can. 604) et etiam clausura papali quae in Ordinibus virorum servatur. Unde legitime ipsa vocatur papalis.

Praeterea, ratio diversi regiminis a clausura papali maiore reponitur in necessitate ipsam componendi cum ministeriis exercendis a Monialibus sive ex instituto sive ex legitima concessione.

Ipsa ministeria tamen componi debent cum spiritu recollectionis et clausurae et illius naturae esse debent quae vitam contemplativam non turbet; ideo, nonnulla ministeria enumerantur modo exemplificativo quae in ipso ambitu Monasteriorum exercentur nec nimiam perturbationem secumferunt.

21. In regimine divisionis Monasterii normae magis concretae dantur circa loca exclusive Monialibus reservanda (art. 44-45).

Etsi non admittantur loca quae simultanee vel etiam successive, sed frequenter, inserviant communitati et ministeriis, Ordinariis permittitur tribuere usui communitatis loca habitualiter operibus destinata; v. g. cum tempore vacationum alumnae in Monasterio non habentur vel cum pro extraordinaria circumstantia aula amplior necessaria est quae in parte operum invenitur. Evidenter tunc supponitur ad haec loca extendi praescripta pro locis, quae Monialibus reservantur, data.

Pari ratione, Ordinario loci permittitur considerare operibus destinatam ipsam ecclesiam Monasterii quando Moniales in ipsa propria opera exercent (art. 4 s. b.).

22. In Monasteriis sub regimine clausurae papalis minoris non omnes Moniales operibus apostolatus dedicantur nec actu nec ex fundatione seu ex instituto, proinde non omnibus licet transire ad partes operibus destinatas, sed illis tantum quae ex designatione Superiorum semel pro semper vel ad actum, operibus incumbere tenentur (art. 49, b).

Non licet ideo occasione celebrationum et solemnitatum vel alia de causa Moniales omnes una cum alumnis convocare.

23. In aliquibus Monasteriis pars quae Monialibus destinatur consideratur clausura maiore munita, pars vero operum clausura minore; erronee tamen, quia unica est clausura qua utraque pars regitur nempe minore, etsi regimen clausurae prioris partis quam maxime clausurae maiori accedat.

24. Opera apostolatus a Monasteriis suscepta rite et fructuose exercenda sunt; in casu conflictus inter exigentias operum suscepto-

rum et ipsius separationis a saeculo quam clausura secumfert, potius clausura cedere debet, et hoc sive relate ad egressum Monialium sive relate ad ingressum extraneorum. Cessio et compositio relinqui non possunt iudicio privatorum vel Superiorum localium: cum agatur de re valde delicata et difficili ipsa S. Sedes in praesenti Instructione determinat quandonam licet Monialibus egredi, extraneisque ingredi in Monasterium; quasdam vero facultates Ordinariis loci relinquit pro casibus similibus qui non facile praevideri possunt (art. 50, c. 57).

25. Statuto egressum e Monasterio licere Monialibus quando id vere necessarium sit pro convenienti exercitio apostolatus (art. 50, b) clare enuntiantur rationes seu casus huius necessitatis, scilicet: a) actuale seu formale exercitium operum; b) praeparatio seu formatio et conservatio culturae ad exercitium operum requisitae; c) expletio negotiorum ad opera spectantium quae nequeunt alio modo resolvi.

Innuitur alia capita haberi posse (art. 51) quibus providetur per facultates Ordinariis tributas (art. 50, c).

Ministerium a Monialibus suscipiendum tale esse debet ut communiter intra ambitum Monasterii expleatur, nihilominus, attentis hodiernis moribus fere quodlibet ministerium apostolicum aliquod complementum postulat extra Monasterium.

Modo speciali in usu facultatis egrediendi ratione ministerii omnino servandus est spiritus clausurae non tantum sese conformando praescripto art. 23, sed etiam egressus limitando casibus quibus aliter revera congrue provideri nequit. Sub hoc respectu maxime faciendus est etiam spiritus cuiusque Ordinis et traditio Monasterii, supposito semper tamen exigentiis ministerii suscepti revera convenienter per alias personas provideri.

26. Sub titulo de ingressu extraneorum Instructio plene determinat quibusnam liceat ingredi partes Monasterii operibus reservatas; ad hoc, non tantum prae oculis habetur necessitas operum (art. 53, a) b) 55) sed etiam convenientia, ex quo, ad actum, permittitur ingressus coniunctorum et etiam aliorum quos admittere aliquando oportet vel convenit (art. 54, a).

27. Titulus « de custodia clausurae » comprobat Ecclesiam nihil de severitate clausurae remisisse, etiam circa clausuram minorem: ingressus in partem communitati reservatam (art. 62) et illegitimus egressus Monialium e saeptis Monasterii (art. 60) iisdem sanctionibus sanciuntur ac in clausura maiore; praeterea sanctio seu punitio praevidetur etiam pro Monialibus absque legitima li-

centia ad loca operum transeuntibus (art. 61, a) et pro extraneis loca operum illegitime ingredientibus (art. 63).

Quovis in casu violatio horum praescriptorum non est solummodo quid poenale, sed culpam moralem secumfert cum sit violatio legis ecclesiasticae.

28. Institutio Foederationum, quae feliciter effecta est saltem pro maiore parte Monasteriorum, necessario secumfert communicationem et visitationem personarum ab uno ad aliud monasterium et, hoc, sive propter exigentias ipsius regiminis foederalis, sive propter mutuum auxilium praestandum ratione officiorum vel laborum, sive ad bonum ipsarum Monialium.

Haec omnia bene praevidentur et definiuntur in Statutis ipsorum Foederationum: ita v. g. in Statutis Foederationis Monialium Recollectorum S. Augustini in Hispania, die 14 julii 1954 approbatis, dicitur:

« En virtud de los presentes Estatutos es permitido salir de la clausura o entrar en ella, avisando a los Ordinarios del lugar:

a) cuando las religiosas concurren al Capitulo General o vuelven de él; o por razón del mismo tengan que hospedarse en otro Convento;

b) cuando la Priora General envie a una religiosa de un Convento a otro o a una fundacíon;

c) al girar la Priora General o su Delegada la visita a los Conventos de la Federación, y siempre que a la Priora General pareciere conveniente visitar algún Convento;

d) cuando la Priora General u otros miembros de la Curia Generalicia se restituyan a sus Conventos expirado al tiempo de su mandato o cargo;

e) cuando las religiosas, durante los viajes, tienen que pernoctar en lugares de tránsito donde hay Conventos de la Orden;

f) cuando las postulantes se dirigen de los Conventos propios a la Casa de Noviciado, o vuelven a ellos, hecho el noviciado o terminado el tiempo de su permanencia en el Profesorio;

g) siempre que una religiosa salga del Convento obedeciendo a una orden o disposición de la Priora General ». (Cap. V, de la clausura, n. 146).

Plus minusve eaedem normae in Statutis aliorum Foederationum continentur.

Statuta valent etiam normas tradere ad uniformitatem habendam in Monasteriis clausurae minori subiectis (art. 69).

29. Ultimus titulus praesentis Instructionis pressius normas exhibet pro clausurae papalis instauratione. Iterum sancita norma

vi cuius omnia Monasteria tenentur clausuram papalem sive maiorem sive minorem servare, Legislator determinat cuiusnam erit definire quaenam de facto in aliquo Monasterio servanda sit. Hunc in finem Instructio distinguit prout agitur de declaratione seu definitione nunc ferenda ad actualem rerum statum ordinandum, vel de definitione in futurum danda ex immutatione forsan in futuro inducta, et statuit: in primo casu, nisi iam aliter praevisum fuerit a S. Sede officium et ius Ordinarii loci esse clausuram papalem minorem inducere in Monasteria quae actu opera apostolatus exercent ratione supra definita quae certo exigit clausuram minorem. In casibus vero dubiis et semper, cum opera in futuro suscipiuntur, S. Sedis erit determinare speciem clausurae papalis inducendam (art. 70).

29. In ultimo articulo (73) determinatur habitudo novae ordinationis circa Clausuram papalem et diversum ius particulare hucusque vigens; determinatur in primis revocatas esse omnes concessiones quarum vi clausura papalis relaxata erat, retenta nihilominus conditione iuridica Monialium; quapropter quodlibet Monasterium Monialum, quod tale permanere desiderat, tenetur clausuram papalem instaurare.

Non amplius datur pro Monialibus clausura episcopalis.

Pro ordinibus Monialium quae ex instituto seu ex fundatione operibus apostolatus incumbunt ita ut revera vi professionis et aliquando ex peculiari voto ministeriis deputentur, S. Sedes normas clausurae papalis minoris magis determinavit et exigentiis apostolatus strictius accommodavit, prout factum est pro Ordine S. Ursulae, pro Ordine D. N. a Charitate, pro Monialibus Ordinis D. N. Societatis Mariae, pro Monialibus Hospitalariis a Misericordia, etc.

Haec peculiaria Statuta semper clausuram strictiorem quam clausuram papalem Ordinum virorum retinent, sed, deficiente distinctione seu communitatis divisione inter illas quae apostolatui dedicantur et alias quae unice vitae contemplativae incumbunt, cum communitas qua talis ministerio deputetur, clausuram papalem minorem proportionate modificant, servata tamen divisione Monasterii ita ut adsint loca unice Monialibus reservata et retenta prohibitione egrediendi e clausura ob commodum vel personalem satisfactionem.

Aelius Gambari s. m. m.

JURISPRUDENTIA
SACRÆ ROMANÆ ROTÆ

SACRA ROMANA ROTA

I

Coram R. P. D. Joanne M. Pinna, *Ponente*

FLORENTINA

Nullitatis Matrimonii — Beneficii novae audientiae

(C. - G.)

Sententia diei 10 ianuarii 1957

In Jure. - 2. - Notum est causas de statu personarum numquam transire in rem judicatam. Exinde can. 1989 statuit: « causae ipsae, si nova argumenta praesto sint, retractari semper poterunt » eo tamen praescripto, quod si duplex sententia adfuerit conformis, « ulterior propositio non debeat admitti, nisi *novis* prolatis iisdemque *gravibus* argumentis vel documentis » (can. 1903). Uti exurgit e legis contextu, can. 1989 latius patet in sua norma generali quam can. 1903, qui causas directe respicit in quibus lata fuit duplex sententia conformis; seu ille canon se refert ad causas in quibus vel nulla appellatio a prima sententia interiecta fuerit, vel, semel interposita, postea deserta est. Hac ratione proinde in praefato canone 1989 mentio tantum fit de *novis* argumentis, quae continere valent vel rationes et excusationes explicantes motiva resumendi causam vel probationes noviter repertas ideoque non antiquas « sub specie quod (argumenta) non fuerint rite exhibita vel examinata » (Noval, *De Processibus*, n. 871). Post duplicem sententiam conformem, e contra, ad tuendam firmitatem iudiciorum, lex maiorem limitationem inducit, nempe can. 1989 firmum manere statuit can. 1903, ubi exigitur quod argumenta vel documenta afferenda sint non tantum *nova* sed etiam *gravia*. Quae gravitas dijudicanda est sive in *semetipsis*, sive in connexione cum argumentis quae jam deducta perpensaque fuerunt atque existimata haud sufficientia. Hinc merito exigitur a jurisprudentia Ordinis Nostri ut nova argumenta licet non gravissima et decretoria (art. 217 § 2-3 Instr. S. C. Sacramentorum « Provida Mater » diei 15 aug. 1936), eius gravitatis sint ut « possibilitatem fundent prioris sententiae reformandae » (Pictavien., c. Felici, diei 15 dec. 1949; item Burdigalen., c. Felici, diei 5 junii 1950: Romana, c. Canestri, diei 20 aprilis 1950; Versalien., c. Canestri, diei 28 jan. 1950; Meliten., c. Canestri, diei 28 febr. 1950). Id jam Panormitanus docebat: « debet admitti denuntians

volens facere fidem de errore quo probato debet retractari sententia, quia non transit in rem judicatam... sed tu hoc dictum intelligas quod non debet admitti indistincte, sed debet allegari seu subesse *aliqua verisimilitudo in contrarium quare prima sententia fuit iniusta* » (Panormitanas, *Commentaria tertiae partis in secundum decretalium librum*, ed. Venetiis 1582, *de sent. et re judicata* cap. 11 *consanguinei* p. 68, n. 7).

Nec novum *graveque* argumentum constituunt notae criticae de asserto defectu sententiae in aestimandis probationibus (Pictavien. c. Caiazzo, diei 21 jan. 1950), quasi ex semplici discussione vel attentata reprobatione motivorum quibus innititur sententia, nisi interfuerit neglectus legis, aliquid amplius scateat quam refricatio eorundem argumentorum. Tradit decisio c. Brennan, diei 29 nov. 1950: « caute accipienda est doctrina juxta quam argumentum novum (et grave) constitueret non satis probata et magis perpensa adductarum probationum consideratio; nempe nisi haec verba intra debitos limites statutos a lege contineantur, practice evanesceret can. 1903 atque facile non nova et gravia argumenta proponerentur sed refricarenteur eaedem probationes, cum dispendio rectae administrationis justitiae » (cfr. etiam Florentinam, c. Brennan, decr. diei 11 julii 1956).

(Sign.) Andreas Jullien, *Decanus*
Joannes M. Pinna, *Ponens*
Raymundus Lamas

II

Coram R. P. D. Joanne M. Pinna, *Ponente*

Nullitatis Matrimonii

(*De metu gravi et iniuste incusso*)

Sententia definitiva diei 23 februarii 1957

In Jure. - 2. - Cum matrimonium faciat partium consensus (can. 1081 § 1) quandam perpetuam servitutem secumferens, merito plenam libertatem semper requisivit Ecclesia, quae irrita habet coniugia sub vi metuve contracta, dummodo gravi, iniusto, ab extrinseco procedente.

A communi metu distinguitur ille qui *reverentialis* nuncupatur, quique de se *levis* praesumitur. Timor enim *offensionis* illorum, quorum potestati subiicimur et quos reverentia prosequimur, nullus metus est, cum non agatur de malo nostro. Sola autem *indignatio* parentum vel superiorum *levem* gignit timorem, quia per se ex illa nullum imminet grave malum (WERNZ-VIDAL, *Jus Canonicum*, tom. V, n. 497), nisi tamen sit *gravis* et *diuturna* eique accedant iurgia, modi valde asperi, preces instantissimae et importunae, animum patientis vexantes. Ast citra quoque minas vel jurgia aut instantes preces, metus reverentialis *qualificatur* absoluto intercedente praecepto patris, imperiosi et pertinacis, cui respondeat mitis et pavida indoles filiae, in tenera aetate constitutae, intra domesticos parietes educatae et oboedientiae in omnibus adsuetae (Massana, c. infrascripto Ponente, diei 9 nov. 1955; Neapolitana c. Exc.mo Jullien, diei 12 julii 1944, S. R. R. Dec., vol. XXXVI, p. 492). Jussui enim paterno non obtemperans, puella rationabiliter timere potest infensum se diu habituram patrem a quo pendet et quocum semper versatura est. Quod sane grave malum constituit (cfr. Sanchez, *De sancto matrimonii Sacramento*, l. IV, disp. 16, n. 14).

3. - Utrum requiratur quod absolutum praeceptum *directe* a patre intimetur filiae, an sufficiat intimatio *indirecta*, seu per alios facta, in singulis casibus prudenter aestimandum est, attenta ratione qua patre regere solet familiam. Si enim is, laboribus deditus, in omnibus per uxorem res familiares moderetur atque tenacissima voluntate ingenioque duro praeditus, necnon ad iram proclivis, minime patiatur filios quomodocumque aliter agere ac ipse decrevit, praecepto *vel indirecto* metus jam qualificatur. Verumtamen semper requiritur euisdem expressa voluntas; minime enim sufficeret vel *nudum desiderium* vel quaevis alia ratio exprimendi tale matrimonium sibi admodum gratum fore. Semel enim perniciosis hisce principiis admissis, gravissima sequerentur eaque lugenda consectaria. Nec in casu rationabiliter posset contrahens suspicari periculum futurae gravis idignationis, nisi agatur de patre minus firmae mentis qui diuturne indignetur quoties filii non praestent ea quae gaudio eum afficiant.

Coscius luculenter tradit doctrinam, quam N. S. Tribunal plene recepit, de duro patris imperio invalidante matrimonium: « si filius matrimonium a patre oblatum abhorrens iterum iterumque protestetur se illi assentiri nolle, pater vero cum sit rigidae ac severae indolis, clare demonstret pertinaciter velle quod tale matrimonium suum sortiatur effectum, nec ab huiusmodi sua determinatione removeri patiatur, tunc ex hac paterna pertinacia... *gravi* metu ter-

retur, quia si patri sic enixe volenti et *absolute* mandanti non obtemperet, rationabiliter timet eius sine dubio incurrere debere indignationem » (*De Separatione tori*, lib. III, c. IV, n. 80).

Ideo sequentes conditiones requiruntur: a) filii iterata protestatio; b) rigida et severa indoles patris; c) pertinax voluntas eiusdem quod tale matrimonium celebretur; d) clara huius voluntatis demonstratio per absolutum mandatum; e) inflexibilitas decisionis post filii protestationes.

4. - Cum a Patrono actricis invocetur sententia coram R. P. D. Parrillo, diei 10 augusti 1931 de consensu *reflexe* elicito, praestat hanc doctrinam breviter illustrare. *Reflexe* dat consensum metuens qui ad vitandum peccatum in consummatione matrimonii nulliter contracti, vel ad avertendam vitam aerumnis sauciatam cum comparte, coniugium acceptat.

An matrimonium ita contractum valeat auctores disputant. Affirmat D'Annibale quia « alias metuenti necessario aut peccandum foret aut matrimonio abstinendum, nec posset quod minus malum sibi videtur eligere » (*Summula*, III, 315, not. 24). Ita et Gasparri qui monet: « At rursus, posita coactione, hic plenus consensus reflexus non praesumitur » (*De Matrimonio*, ed. 1932, vol. II, n. 835). Contrariam sententiam, uti *probabiliorem* tradit Sanchez (*De sancto matrimonii Sacramento*, IV, disp. 12, n. 13-18) eamque amplectitur Wernz-Vidal (o. c. n. 504). De hac doctorum controversia, tenet sententia rotalis citata: « dubitandum non est eius applicationem in foro externo magnam pati difficultatem, nam *metu evicto* vix possibile est discernere utrum plenus consensus *reflexe elicitus*, a metu sit extraneus, an ab illo directe dependeat, quia tandem aliquando ille actus reflexus ab incusso metu non videtur disiunctus. Siquidem metus non aufert sed minuit voluntarium... unde metuens qui plene sed *reflexe* matrimonio consentit, ad vitandum nempe peccatum vel omnem vitam aerumnis plenam, eligit semper minus malum in comparatione majoris mali sibi minitati; nam liber a metu, illud nec *reflexe* eligeret » (S. R. R. Decis., vol. XXIII, p. 389). Non agitur proinde de « metu reflexo » qui, uti proponitur, minime intelligitur. Metus semper adest, a causa libera positive incutitur, gravis est atque vitari nequit, usque ad nuptias perseverat, sed patiens metum *vere* incussum reflexe consentit. Qui quidem consensus verus esset actus voluntatis (« quamvis coactus, volui ») sed iuridice inefficax ad vinculum producendum.

Nec contrarium vel ab ipsomet contrahente sub coactione gravi et iniusta praetendi posset, cum non agatur de bonis privatorum

quibus renuntiare fas sit, sed de publico bono cui derogari pactis privatorum nequit.

In Facto. - 5. - In limine reprobandus est modus singularis quo judex instructor in prima instantia processit excutiendo partes et testes, quique longe distat a praxi constanter servata a sedulo et sagaci Tribunali X. Exaustis enim quaesitis a Defensore vinculi concinnatis, propositae fuerunt positiones saepissime suggestivae, paratae a patronis partium. Quod sane violationem constituit art. 70 § 2, Instructionis S. Congregationis Sacramentorum « Provida Mater », edicentis: « Defensor vinculi curet ut interrogatoria proponantur omnino recte concinnata... facta eidem facultate articulos a patronis propositos reformandi, quod facere ne omittat praesertim si suggestivi videantur, ita tamen ne supprimat quae necessaria et opportuna sint ad plenam veritatem dignoscendam ». Videlicet positiones exaratae a patronis partium, submittendae sunt vinculi Defensori, qui eas perpendit, reformat, novos articulos addit, atque tandem in clauso involucro custodit, immediate ante examen aperiendo. Id semper invaluit apud N. S. Tribunal, a quo normam sumpsisse videtur Instructio citata. Contraria praxis evidentibus abusibus viam sternere potest, in causis nullitatis matrimonii, firmiter praecavendis.

(Sign.) Joannes M. Pinna, *Ponens*
Raymundus Lamas
Enricus Ewers

III

Coram R. P. D. Petro Mattioli, *Ponente*

Turonen. Solutionis

(Sorores Benedictinae - Moniales Carmelitae)

Sententia definitiva, die 25 martii 1957.

Pio PP. XII feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno undevigesimo, die 25 martii 1957, infrascripti RR. PP. DD. Petrus Mattioli, ponens, Emmanuel Bonet et Joannes Maria Pinna, Auditores de turno, in causa *Turonen.*, Solutionis, inter Sorores Benedictinas (qua proprietarias Instituti psychiatrici « Notre-Dame de la paix », in urbe « Menin » exsistentis), actrices, in dioecesi

Brugen. commorantes, in judicio repraesentatas ab adv. Mario Mantovani, et Moniales Carmelitas Caesaroduni (13, rue des Ursulines), reas conventas, repraesentatas ex officio ab adv. Bartholomaeo Pellegrini: interveniente in causa — de mandato R. P. D. Ponentis — rev. Sor. Maria Teresia a S. Josepho, carmelita, in saeculo Alicia cui, utpote mente infirmae, legitime constitutus fuit curator rev. Franciscus Arrighi, in Urbe degens (via S. Giovanna d'Arco, 5), rapraesentatus in judicio ab advocato ex officio Guillelmo Felici: item, interveniente ac disceptante in causa Rev.mo Hugone Felice, Promotore Justitiae in S. Rota, hanc, in altero jurisdictionis gradu, definitivam sententiam ediderunt.

Species Facti. - Domnula Alicia e conspicua familia orta, in aetate canonica constituta, debite periodo novitiatus expleta, servatisque omnibus de jure servandis, professionem simplicem — juxta indultum Apostolicum monialibus Galliae concessum — rite emisit in Monasterio Carmelitarum Caesaroduni seu Turonum, nomen Mariae Theresia a S. Josepho, in Religione, assumendo, et competentem dotem Monasterio afferendo

Dein, superata etiam periodo professionis temporariae, ad perpetuam nuncupandam admissa fuit.

Nec testamentum redigere omisit, sicut lex canonica praescribit: pariterque disposuit ut de bonis, quae in saeculo habebat, administratio gereretur a quodam Notario, sub vigilantia Priorissae Carmeli Turonensis.

Sed, malo fato, aliquot post annis, condicio neuro-psychica Sor. Mariae Theresia debilis, ac debilior in dies, facta est: ita ut vitam regularem deserere debuerit et locum curationis ingredi. Debitis facultatibus obtentis, reliquit equidem Maria Theresia monasterium suum; at, notario apud se vocato, coram ipso statuit ut expensae pro curatione, ne monasterium gravaretur, solverentur de reditibus bonorum ipsi pertinentium.

Varias curationis domus infirma successive ingressa est; tandem, in Institutum urbis « Menin », in Belgio, intra limites dioec. Brugen., de consensu Priorissae Carmeli, recepta fuit. Sed jam ex integro amens, tunc temporis, erat et adhuc amens est et in eodem instituto degens.

Pretium curationis, victus et convictus, usque ad annum 1940, solutum est a praelaud. Notario ex reditibus bonorum infirmae, concurrente Monasterio cum reditibus dotis.

Cum, autem, e subversione omnium rerum per immane bellum provocata, etiam valor pecuniae ab imis mutatus fuerit, reditus bonorum Mariae Theresiae — ut asseritur — impares facti sunt ad expensas satisfaciendas apud Institutum Menense; quapropter, ne

summa capitalis frangeretur, Notarius nihil amplius solvendum tenuit, et Carmelum solummodo fructus dotis solvere perrexit.

Itaque, invitamentis ac sollicitationibus in vanum positis, Sorores Benedictinae, porrecto libello Archiepiscopo Turonensi die 25 septembris 1950, haec equidem assumebant ac defendebant: « Jusqu'en 1940, le Carmel le Tours, qui avait confié Mlle à l'Institut psychiatrique de Menin, a versé régulierement la pension de la religieuse malade. Depuis cette époque, le Carmel de Tours ne verse chaque année qu'une somme modique, alors que, d'après les textes de Droit Canonique, il est tenu de pourvoir aux frais d'entretien de cette religieuse ».

Quorum gratia, eaedem Sorores Benedictinae in jus rapere velle Carmelum Turonense declarabant, ad jurium suorum legitimam vindicationem.

Citationi Tribunalis Archiepiscopalis Turonensis, Carmelitarum Superorissa respondebat, die 5 novemb. 1950, « qu'elle ne peut reconnaître à son Monastère le devoir d'acquitter actuellement les frais de pension de Mlle Alice, en religion Soeur Marie Thérèse de St. Joseph, soignée chez les Bénédectines de Menin (Belgique) ».

Propter hoc, processui canonico locus factus est, in quo, instructione ad normam juris peracta, sententia definitiva prodivit die 4 aprilis 1952. Per hanc profecto sententiam, decisum est Carmelum Turonense teneri tantummodo ad concurrendum in expensas curae religiosae infirmae ex reditibus dotis religiosae eiusdem, et non ultra: nam cetera e patrimonio privato religiosae sumenda sunt.

Multa illico excepit Patronus partis actricis adversus sententiam huiusmodi, sive correctionem exigens errorum nonnullorum, quos in textu sententiae irrepserant, sive movens querelam nullitatis ex variis capitibus.

Idem Tribunal, correctis erroribus, actis suppletivis quoque positis, requisito interventu Promotoris Justitiae, ac denique assignato parti conventae patrono, novam sententiam, in eodem jurisdictionis gradu, edendam tenuit die 15 novembris 1953: qua decisum est sicut in praecedenti, addito tantum onere foenoris legalis pro summis a Carmelo solvendis.

Appellavit tunc pars actrix H. A. T., prae primis adhuc obiiciens nullitatem nedum primae, e citatis sententiis, sed et alterius: utcumque, reformationem expetens in sui favorem.

Constituto Turno Rotali, et beneficio patrocinii gratuiti exquirenti parti conventae concesso, citatis Promotore Justitiae et utriusque partis Procuratoribus, ad huiusmodi dubiorum concordationem ventum est, videlicet:

1°) - An constet de nullitate sententiae diei 4 aprilis 1952, in primo jurisdictionis gradu;

2°) - An constet de nullitate sententiae correctae diei 15 novembris 1953, in primo jurisdictionis gradu;

3°) - Si et quatenus: An Carmelo Turonensi onus incumbat solvendi expensas pro hospitio et cura Rev. M. Mariae Theresiae a S. Josepho apud Monasterium Menense, et qua mensura.

Quibus attentis, infrascripti Patres, ne judicium Rotale periculo nullitatis exponeretur, quaesiverunt ad cautelam ab Exc. Decano ut, potestatibus peculiaribus ipsi commissis utendo, facultatem elargiretur videndi de merito causae etiam in prima instantia. Quod, per rescriptum diei 26 martii 1955, concessum est.

Denique, instante Promotore Justitiae, R. P. D. Ponens — ad normam cann. 1852-1853 — tertii interventum in causa necessarium decrevit, i. e. religiosae infirmae: cui, ex delegatione Archiepiscopi Turonensis, curatorem constituit, et patronum assignandum curavit.

DE PRIMO ET DE ALTERO DUBIO

In Jure et in Facto. - De plano relevarunt Domini primam sententiam, a Tribunali Turonensi die 4 aprilis 1952 editam, esse nullam; non autem alteram, die 15 novembris 1953 ab eodem Tribunali latam.

A. - Primae sententiae nullitas derivanda est:

a) - *Non* ex judicialis disceptationis defectu, quem obiicit patronus partis actricis: nam, aliqualis disceptatio, esto minima, de facto locum habuit, cum indubie constet omnia acta parti conventae rite notificata fuisse, et eamdem partem conventam declarasse decisioni Tribunalis se remittere velle.

b) - *Nec* ex defectu interventus Promotoris Justitiae, de quo pariter conqueritur patronus partis actricis: etenim, bonum publicum et interesse personalium moralium, quae jure nostro (can. 100, § 3) minoribus aequiparantur, apprime ac realiter distingui, jam plene patet e praescripto can. 1655, § 2, ubi legere datum est. « Etiam in judicio contentioso, si agatur de minoribus, *aut* de judicio in quo bonum publicum vertitur etc. »: quae equidem distinctio et enumeratio sensum profecto non haberet, si jura minorum semper ac infallibiliter cum juribus communis boni coaequanda essent.

In casu, cum quaestio sit de transferenda certa pecuniae copia ab una persona morali ecclesiastica ad aliam personam moralem ecclesiasticam, cur interventus Promotoris Justitiae necessarius, ad judicii validitatem, haberi debeat, non intellegitur. Est enim nego-

cium, quod praecise entium ecclesiasticorum privatum bonum, et non publicum Ecclesiae bonum aut animarum salutem, respicit ac tangit: in quo proinde Judex *non* ex officio, sed solummodo ad instantiam partis procedere potest (can. 1618).

Igitur, si loci Ordinarius, in casu, Promotoris Justitiae interventum jubendum non aestimavit, acta judicii, ac definitiva sententia, huiusmodi quod spectat, invalidanda non sunt: eo vel magis quod exceptio ulla, a patrono qui parti actrici tunc adsistebat, *tempestive*, i. e. decursu processus, excitata non fuit.

Perperam a patrono partis actricis adducitur, in suae theseos defensionem, decisio quaedam S. Rotae, in una S. Jacobi de Chile, in qua sermo est de *Seminarii* (ideo — a patrono additur — de personae moralis) juribus tuendis, et in qua interventus Promotoris necessarius declaratur: nam, Seminarium est persona moralis ecclesiastica peculiarissimi generis, cuius proinde jura, ex ipsa instituti natura, vix, et ne vix quidem, a bono communi Ecclesiae separari possunt.

c) - Sed potius e defectu defensionis partis conventae, cui patronus datus non fuerat.

Porro, definitur in can. 1655, § 1: « In judicio criminali, reus a se electum aut a judice datum semper habere debet advocatum ». Idque ad ipsius judicii validitatem praecipi, dubium non est. Unde, adhuc sub invaliditatis sanctione, intellegi debet eiusdem can. 1655, § 2, ubi scriptum est: « Etiam in judicio contentioso, si agatur de minoribus, aut de judicio in quo bonum publicum vertitur, judex parti carenti defensorem ex officio attribuat, aut, si casus ferat, parti etiam habenti alium adjungat ».

B. - Sed jam e dictis profluit alteram sententiam non esse nullam: etenim in ipsa denunciatis deficientiis remedium allatum fuit, et etiam, ad abundantiam, interventus Promotoris Justitiae jussus est.

Conqueritur patronus partis actricis de violato praescripto can. 1571, sed injuria prorsus!

Porro, quaestionem de querela nullitatis sententiae, et de remediis forte adhibendis, contemplantur cann. 1895-1897, ex quibus liquet idem Tribunal, in quo sententia lata est, posse eiusdem sententiae nullitatem agnoscere, proinde illam cassare, et alteram, loco illius, pronunciare ac promulgare. Et hoc, in casu, rite factum est.

DE TERTIO DUBIO

In Jure. - Sive ex professione votorum sollemnium, sive ex professione votorum simplicium, perpetua vel temporaria, vovens

fit in Instituto, quod amplexatur, verus filiusfamilias, cum omnibus juribus et officiis, quibus, ex parte Instituti patrisfamilias, jura et officia inderogabilia pariter respondent: idque, per se, *in perpetuum:* salvis tamen supervenientibus (vel, ad extra se prodentibus) causis canonicis, in quarum vim liceat, aut absolute jubendus sit, exitus vel dimissio voventis.

Ad rem in WERNZ-VIDAL: « Cuiusvis professionis effectus est vinculum juridicum cum familia religiosa, in qua professio emissa fuit, per quod professus fit verum membrum illius familiae, cum jure ut tamquam membrum tractetur, et cum consequente subiectione ad Superiores Instituti, sive hi membra Instituti regant potestate tantum dominativa, sive etiam potestate verae propriaeque jurisdictionis ecclesiasticae » (Jus can., 1933, Tom. III, n. 325).

Ex tali tantummodo fonte, professione scilicet religiosa, provenit cuique voventi, masculini vel foeminini sexus, summa jurium ac privilegiorum ordinis supernaturalis ac naturalis: quorum omnium fundamentum et caput est jus ad recipienda necessaria pro vita, sicut domum, victum, vestem, tandem curas in aegritudine.

Numquam sola professi infirmitas, per se, sit ea sanabilis vel minus, impotentem subiectum ex integro reddat vel ex parte, ad tempus vel in perpetuum, adduci potest tamquam causa dimissionis: non modo in professis votorum perpetuorum, sed nec in professis votorum temporariorum. Sicut, praecise, in familia naturali contingit: in qua subiecti infirmi non expelluntur, nec deseruntur, sed pro posse aluntur et curantur: vel inter septa familiae, quoadusque possibile sit et conveniat, vel in institutis curae, aut publicis aut privatis, juxta familiae vires. Et, cum subiectus ad quodlibet, ex eiusmodi institutis, mittitur a familia, aut de consensu familiae, haec equidem, idest ipsissima familia, et non quilibet alius, pro sui membri cura et hospitio respondere debet.

Peculiariter quoad religiosos professos, qui morbo mentis infirmantur; Sacra Congregatio de Religiosis die 5 februarii 1925 statuit: « Professum, qui durante triennio votorum temporariorum amens evaserit, non posse ad saeculum remitti, neque statim neque triennio elapso, sed pertinere ad Religionem in eo statu, in quo erat, quando mente captus evasit, et Religionem teneri erga eum *ad eadem officia*, ad quae tunc tenebatur. Est ergo manetque professus votorum temporariorum, et, licet sit ipse actu incapax obligationum, quae ex professione ortae sunt, Religio erga ipsum eodem modo obligatur toto tempore perdurantis amentiae, quo obligabatur dum amentia correptus fuit, exclusa potestate eum a Religione separandi » (A.A.S., XVII, 107).

Quae saltem a pari (nisi a fortiori quis dicere malit) valere

tenendum est pro religioso amente, qui vota jam perpetua nuncupavit. Nec obiiciatur decretum praelaudatum esse posterius eventis, de quibus in hac causa quaestio fit, et ideo eventis eisdem applicari non posse: nam — uti patet — statutum illud sensum mere declarativum habet, et ideo nedum pro futuro, sed etiam pro praeterito, vim suam certo exserere dicendum est.

Non, igitur, ob ea quae vovens, quovis titulo, Instituto attulit vel legitime acquisivit (puta: sua industria, vel labore manum aut mentis, et ita porro), Religio obligatur ad illum, pro viribus, sustentandum et curandum, sed tantummodo ob professionem, sit ea perpetua vel simpliciter temporaria.

Exinde, liquido descendit quid dicendum et judicandum sit de « dote », quae a religiosis foeminis, generatim, canonice exigitur (nam, de maribus heic sermo non est habendus).

Adhuc Wernz-Vidal audiatur: « Dos, ex jure Codicis, praecedenti jurisprudentia jam praeformato, est certa summa pecuniae aut bonorum, quorum reditus inserviant pro religiosae sustentatione... Evidentem habet analogiam cum matrimonio, in quo dotis nomine designantur bona ab uxore, vel ab alio pro ipsa, tradita marito, ad sustinenda onera matrimonii » (O. c., Tom. III, n. 267).

Cum autem dos, per se, elementum nec essentiale nec necessarium constituat, neque in matrimonio neque in vita religiosa, innumerae de facto dantur uxores sine dote sicut et innumerae religiosae sine dote: vel ex consuetudine centenaria et immemorabili (quae etiam post Codicem, et a fortiori antea, viget et in suo vigore perseverare potest: cfr. can. 5), vel ex indulto Apostolicae Sedis, aut ex venia Ordinarii loci (can. 547, § 4).

Adhuc: decursu temporis, et citra cuiusvis culpam, nedum reditus bonorum in dotem constitutorum minui possunt, sed et bona ipsa, de facto, ex parte vel ex integro, possunt amitti: veluti, ex. gr., non infrequenter contigit opera Guberniorum Ecclesiam et Religiosa Instituta adversantium et opprimentium. Non tamen, etiam in his casibus, juridice cessavit vinculum inter Religionem et subiectum membrum, quod in vim professionis ortum est, cum derivantibus hinc inde juribus et officiis, de quibus diximus: in quibus apprime adimplendis — quaelibet sit condicio actualis bonorum in dotem constitutorum eorumve fructuum — tam Institutum quam singula membra, pro posse, adhuc cooperari obligantur coram Deo et hominibus.

Incongrue prorsus, ergo, affirmaretur Institutum teneri tantummodo pro reditibus dotis ad sustentationem et curam membri professi: nam obligatio non ex dote (quae elementum prorsus acci-

dentale est et variabile), sed ex professione exsurgit: per quam professus membrum familiae religiosae legitime factus est.

In Facto. - Ne de multis, quae ad rem non sunt, quaeque in actis prostant, supervacanea adhuc discussio et disceptatio fiat, quaestio perstringatur ad certa et utilia, quae sequuntur:

1. - Controverti non potest domnulam Aliciam legitime in Carmelum Caesaroduni receptam fuisse, in eoque professionem votorum simplicium — juxta Apostolicum indultum in Gallia vigens — nuncupasse, assumendo nomen Mariae Theresiae a S. Josepho.

2. - Igitur, ea est in Ordine Carmelitarum soror professa votorum simplicium perpetuorum. Quod dictum sit contra asseverationem patroni partis actricis, ad cuius placitum talis Aliciae professio sollemni professioni in omnibus aequiparanda esset. Non ita: sed, practice, et ad effectum quem persequimur, quaestio eiusmodi nullius momenti est, nam eaedem prorsus sunt Religionis obligationes pro sustentatione et cura subiecti infirmi, sive professi sollemnis, sive simplicis.

3. - Cum mente et nervis laborare coeperit, Sor. Maria Theresia, certo quodam die, vitam religiosam et monasterium — jussu medicorum — relinquere debuit, et institutum pro curatione aptum ingredi.

4. - Quod profecto exsecutioni mandavit de consensu legitimorum Superiorum, varias domus successive ingrediens. Sed tandem, jam ex toto amens effecta, in Institutum psychiatricum « Notre-Dame de la paix », in urbe Menin, ubi adhuc amens degit, recepta fuit. Verum est hoc institutum electum fuisse a consanguineis miserae patientis, sed pariter verum est consensum Priorissae Carmeli exquisitum et obtentum fuisse.

5. - Quo titulo, proinde, Priorissa Carmeli hodie affirmare possit « qu'elle ne peut reconnaître à son Monastère le devoir d'acquitter actuellement les frais de pension », absolute non intellegitur. Obiici equidem potest:

a) - Institutum psychiatricum Menense electum fuit a consanguineis infirmae.

Resp. - Utique: sed Priorissa Carmeli nec unum umquam movit lapidem ad id impediendum, quin imo rem expresse adprobavit. In posterum, vero, numquam monasterii indigentiam et impotentiam (sicut ipsi plene licuisset) in medium adduxit, exigendo ut infirma ad aliud institutum seu nosocomium transferretur, sed simpliciter asseruit sibi, idest monasterio, non spectare onus solvendi expensas Instituto Menensi. Quod acceptari non potest.

b) - Sed etiam dicitur Priorissa Carmeli in tantum consensum dedisse pro cura infirmae in Instituto Menensi, in quantum resciebatur quod infirma, ante egressum e monasterio Carmelitarum, nempe dum adhuc suae mentis erat, coram Notario administratore bonorum suorum privatorum, declaraverat se super monasterii humeros, pro curis sibi occurrentibus, gravare nolle, sed suae voluntatis decretum esse quod curatio fieret « à ses frais ».

Resp. - Multa, hinc et inde, conscripta sunt circa valorem, et sensum, et praecisum effectum, huius Sor. Mariae Theresiae declarationis; sed non omnia recte et utiliter.

Defenditur a patrono actricum hunc actum pro invalido haberi debere: sed, Patrum infrascriptorum judicio, nec una, ex rationibus pro invaliditate adductis, solide demonstrata apparet.

Praetenditur a patrono conventarum Notarium in jus esse vocandum et interrogandum: sed Patribus iisdem hoc necessarium vel utile visum non est.

Censuerunt e contra Patres Sor. Mariam Theresiam, illis in adiunctis, valide voluntatem pandisse liberandi Monasterium ab onere tam sumptuosae curae, simulque providendi, sicut quilibet prudens egisset, ad hoc ut curatio infirmitatis suae eo fieret modo, qui melior, tutior et validior aestimaretur: insumendis, ad hoc, omnibus bonis suis, nedum quoad fructus, sed etiam quoad summam capitalem. Hisce autem declaratis, Patres Domini addiderunt voluntatem illam constituisse *negocium actum inter tertios:* cuius vi, nihil demi potest, nihilque addi, obligationibus illis quae Monasterio Carmelitarum competunt e legitima professione, ut supra fuse dictum est.

Igitur, Carmelo convento dicendum est: Solve et repete, si quid legitime repetendum habes.

Quibus in jure et in facto perpensis, Nos infrascripti Auditores de turno, pro tribunali sedentes, et solum Deum prae oculis habentes, Christi Nomine invocato, decernimus, declaramus et definitive sententiamus, respondentes dubiis propositis:

1°) - Affirmative, seu constare de nullitate sententiae diei 4 aprilis 1952, in primo jurisdictionis gradu;

2°) - Negative, seu non constare de nullitate sententiae correctae, diei 15 novembris 1953, in primo jurisdictionis gradu;

3°) - Affirmative, idest uni Carmelo Turonensi onus incumbere solvendi expensas pro hospitio et cura rev. Sor. Mariae Theresiae a S. Josepho apud Monasterium Menense: integre, et a die intercoeptae solutionis.

Quoad expensas, viso praescripto can. 1911 C. J. C., pars victrix solvat suam partem, simul cum taxa sententiae et honorariis patroni a se electi.

Ita pronunciamus etc.

subs.: Petrus Mattioli, *ponens*
Emmanuel Bonet
Joannes Maria Pinna

IV

Coram R. P. D. Dino Staffa, *Ponente*

Sententia diei 17 maii a. 1957

(*De ignorantia naturae matrimonii*)

Species facti. - In ecclesia S. A. diocesis N. N. die 16 mensis ianuarii anni 1949, nuptiae celebratae sunt inter Angelum M., tricesimum secundum annum agentem, et Angelam N., septemdecim annos natam.

Quamvis felici sub sidere matrimonium initum fuerit, dissensionibus cito inter coniuges ortis, quibus non obstantibus vita communis usque ad annum 1953 protracta est, convictus coniugalis infelix evasit. Tunc enim cum virum suum sequi mulier detractavisset, separationem a magistratu civili Angelus impetravit, trimestri autem elapso Signaturae Apostolicae adivit Supremum Tribunal, quod expetitae annuit gratiae jam a primo judicii gradu causam pertactandi apud N. S. O. Duobus ex capitibus accusatum fuit vinculum in casu, id est ob ignorantiam naturae matrimonii ex parte mulieris et propter eiusdem impotentiam saltem relativam. Dubio de nullitate matrimonii addita est quaestio de matrimonii inconsummatione. Sententia tamen diei 12 novembris a. 1954 Patres antecedentis Turni edixerunt neque nullitatem neque inconsummationem esse probatam. Appellavit deinde actor simul postulans ut suppletiva inquisitio fieret. Hac vero peracta Nobis hodie decidendum est: « An sententia Rotalis diei 12 novembris anni 1954 confirmanda vel infirmanda sit, in casu ».

De ignorantia.

In Jure. - « Dicendum est, consensum matrimonium constituentem, non esse explicite in carnalem copulam, sed in jus, et

potestatem ad talem copulam: implicite autem, et virtute ad copulam. Probo, quia carnalis copula non est de matrimonii essentia, sed eius effectus et operatio; perfectio autem essentialis consistit in mutua corporum traditione ad copulam: ergo consensus efficiens matrimonium non fertur explicite in copulam, sed in potestatem, et implicite in copulam. Probo consequens, quia consensus in matrimonium solum fertur in id, quod est de essentia, quia vero consensus in aliquam rem, fertur saltem implicite in effectum, ad quam illa res intrinsece ordinatur, inde est ut consentiens in mutuam corporum traditionem, consentiat etiam virtute in copulam... Sic tenent D. Th., disp. 28, qu. un. art. 4...

« Pro huius majori intelligentia observandum est, dupliciter intelligi posse, ut consensus implicitus in copulam desideretur ad verum matrimonium. Primo modo, loquendo de consensu implicito, quantum est ex parte contractus, et hoc modo verissimum est eum desiderari; cum enim contractus matrimonialis intrinsece ordinetur ad copulam, qui explicite consentit in illum, consequenter in hac implicite consentit, ex vi talis contractus. Secundo modo potest intelligi ex parte contrahentis, et hoc pacto non est necessarius consensus implicitus in copulam » (Th. Sanchez, *De S. Matrimonii Sacramento*, L. II, disp. 28).

Distinctio a T. Sanchez jam facta inter consensum ex parte contractus et consensum ex parte contrahentis, animadvertitur conferendo textum can. 1081 § 2 et can. 1082 § 1: ille enim notionem tradit consensus in omnibus suis elementis obiectivis, iste vero quae ex parte contrahentis omnino requiruntur et sufficiunt; in illo explicita mentio fit de actibus per se aptis ad prolis generationem, in isto deest haec mentio expressa; quapropter concludere licet notionem copulae in contrahentibus non requiri ad validitatem contractus coniugalis. Quia tamen, ad normam can. 1082 § 1, necesse est ut contrahentes non ignorent « matrimonium esse societatem permanentem inter virum et mulierem ad filios procreandos », nupturientes, ut valide contrahant, scire debent consensu matrimoniali concedi alteri parti jus in proprium corpus ad filios procreandos. Jus vero in corpus ad filios procreandos implicite et virtualiter continet jus ad actus per se aptos ad prolis generationem seu ad copulam, cuius tamen notio, iuxta can. 1082 § 1, ex parte contrahentium non requiritur.

Can. 1082 § 2 ait scientiam de natura matrimonii post pubertatem esse praesumendam: physica enim pubertas evolutionem quoque psychicam inducit quae est, iuxta actoris Patroni verba « ipsius naturalis scientiae fundamentum et causa ». Admitten-

dum est tamen hanc praesumptionem esse juris tantum, ideoque cedere veritati quoties probetur, propter huius evolutionis psychicae defectum aut aliam qualemcumque rationem, contrahentem revera ignorasse quae ad valide contrahendum iuxta can. 1082 § 1 exiguntur.

Attamen « horror post coniugium manifestatus, quo puella contendat umquam actum adeo turpem ullo modo voluisse, ac proinde renuat consummare matrimonium, non necessario manifestat puellam nescivisse quae necessaria scitu esse dicuntur ad matrimonium contrahendum. Praeter enim quam quod repugnantia potest accidere etiam puellae quae instructa esset generico modo de corporum commixtione, ea ad copulam aversio est factum quod experientia ipsius modi peragendae copulae provocat » (R. Bidagor, in *Periodica de re morali canonica liturgica*, a. 1940, pp. 288-289).

In facto. - Agitur de puella quae, iuxta ab ea tradita: « mi sono limitata a leggere sempre romanzetti e sfondo amoroso »; iuxta vero relata a suo viro: « Amava lo sport, specialmente i bagni di mare, fumava e anche frequentava ... il cinema », dum testis Anna Maria S. deponit: « Alla Angela piaceva divertirsi ... frequentava i bagni con amiche ed amici ».

Mores igitur quibus imbuta erat puella ita validiorem efficiunt praesumptionem can. 1082 § 1 ut vix credi possit eandem ignorasse matrimonii naturam: « Angela — ait frater actoris — aveva una certa cultura, scriveva, dipingeva. Aveva anche molte conoscenze. Faceva una vita molto libera. Perciò ritengo che sapesse che cosa è il matrimonio ».

Propterea, utpote inutile, Angela respuit opus quod ante matrimonium ei obtulerat Anna Maria S., loco matris desiderans eam certiorem facere de officiis coniugalibus. Cum autem vir consummare matrimonium tentavit: « Io intuii — ipsa refert — che lui intendeva fare una cosa sconveniente secondo me, e subito lo respinsi »: quibus verbis prodi videtur plenam habuisse mulierem notionem copulae, etsi eam, alia de causa, recusaret: « E per far sì che egli non riuscisse — pergit Angela — io mi irrigidivo, diventando come un pezzo di legno ».

Quia vero Angelus conatus est « di spiegare, portando l'esempio delle bestie che possono vedersi per la strada in congiungimento carnale », signa admirationis mulier non dedit, sed « rispondeva soltanto: « Io ho paura », quorum verborum sensus praebetur ab eius amica Paula P.: « Circa un anno prima del matrimonio sentimmo dire che una conoscente della mia famiglia era morta di parto; e ciò, secondo me, impressionò Angela ».

Non absque difficultate igitur admittitur mulierem conventam putasse prolem mero coniugum simul cubantium calore concipi. Id sane deposuit ipsa et confirmavit eius vir: « Angela sapeva che dal marito e dalla moglie nascono i figli. Ritengo pure che sapesse come marito e moglie debbano stare insieme per tutta la vita. In quanto al modo d'aver i figli, essa riteneva che fossero prodotti dal caldo del letto nel quale dormono assieme uomo e donna »; concordant quidem cum relatis a Paula P., quae fide digna praedicatur. Etsi tamen actuum proprie coniugalium Angela ita esset ignara, quod verisimile non est, ipsius ignorantia talis non erat quae validum consensum impediret: non ignorabat enim quae can. 1082 § 1 requirit, id est matrimonium esse societatem permanentem inter virum et mulierem ad filios procreandos; consensu autem matrimoniali ius in proprium corpus tradi alteri parti ad prolem generandam; etsi iuxta suam notionem mutuum coniugum ius limitaretur ad simul ita cubandum, ut physica proximitate corporum ille calor produceretur quem ipsa putabat sobolis fecundum.

Lata est sententia pro validitate matrimonii.

V

Coram R. P. D. Petro Mattioli, *Ponente*

(*Incidens de nullitate insanabili actus prosequutionis appellationis ex parte Actricis*).

DECRETUM

A.D. 1957, die 29 martii, hora undecima, de mane, legitime intimata:

Infrascripti Patres, in Sede S. Tribunalis coadunati ad dirimendum incidens supra enunciatum:

Perpensis hinc inde obiectis et assumptis a Patronis utriusque partis in causa, i. e. ab adv. Dn. Conrado, pro conventis, et ab adv. Dn. Hermanno, patrono ex officio parti actrici constituto, simul cum voto Rev.mi Hugonis Felice, Promotoris Justitiae in H. A. T.:

Haec, quae sequuntur, consideranda vel decernenda tenuerunt:

A. - Status Quaestionis. - Domina Yvona, vindicandorum jurium gratia, apud Tribunal Curiae X., rev. Gastonem, et alios sa-

cerdotes, legitime convenit — per procuratorem et patronum Dn. Emmanuelem, ipsi ex officio a praelaudata Curia adsignatum — sententiam primi gradus suscipiens die 21 januarii 1956, notificatam die 31 eiusdem mensis.

Cum idem Patronus, hac sententia, clientem suam gravatam aestimaret, appellationem ad S. Rotam,, die 7 februarii, nomine clientis eiusdem, interposuit. Deinde, sub die 22 februarii, actum prosequutionis appellationis ad Decanum S. Rotae ille idem remisit, etiam expetens beneficium patrocinii gratuiti.

Apud H. A. T., uti de more, constituto judicantium Turno, et expletis inquisitionibus de jure explendis, beneficium expetitum concessum est, et patronus ex officio actrici datus, in Albo advocatorum S. Rotae selectus.

Excepit in limine Patronus conventorum actum prosequutionis appellationis nullitate laborare, ideo litem pro deserta haberi debere.

Sed, instantibus Promotore Justitiae et Patrono actricis, statuit Ponens oppositam exceptionem decidendam esse per merum de cretum (exhibitis prius memorialibus ab utroque Patrono et a Promotore Justitiae), contestata jam lite.

Dubia igitur concordata fuerunt in sessione illa.

In posterum, die 8 februarii, Patronus conventorum mentem suam plene aperuit super obiecto incidenti, sequentia assumens ac defendens:

« ...eccepiamo che l'appello deve aversi per deserto, ai sensi del can. 1886, in relazione al can. 1884 C. J. C. —

Il disposto della legge è tassativo e formale: non basta proporre appello, occorre che l'appello sia proseguito nel termine di trenta giorni innanzi al Giudice *ad quem*, esibendo al medesimo: 1°) - L'atto di prosecuzione; 2°) - copia *autentica* dell'atto di appello; 3°) - copia *autentica* della sentenza impugnata.

Risulta che l'ill.mo e rev.mo Patrono della signorina Iva in prime cure inviò a Roma una raccomandata, diretta al Decano della Sacra Romana Rota: in questo plico, si conteneva bensì copia *autentica* della sentenza, ma non si conteneva copia *autentica* dell'atto di appello, ma soltanto una copia semplice. Questa irregolarità, a nostro avviso, già comporterebbe la nullità della prosecuzione, essendo la legge tassativa, ma non basta.

La nullità sostanziale e fondamentale della prosecuzione dell'atto di appello, nel caso, consiste in ciò che la prosecuzione non è firmata dalla parte stessa, ma è firmata soltanto da chi era stato bensì patrono, *ex mandato patrocinii gratuiti*, della signorina Iva, innanzi al Tribunale di prima istanza, ma non era (nè poteva essere,

non rivestendo la qualità di avvocato e procuratore innanzi alla S. Rota) patrono della medesima innanzi al Tribunale Rotale, non essendogli stato rilasciato nessun mandato *ad hoc*...

Ma, a parte che innanzi alla S. Rota è necessario agire personalmente o per mezzo di mandatario speciale (art. 62, § 2 delle Norme), la funzione del Patrono di prime cure... si era esaurita con l'interposizione dell'atto di appello (can. 1664, § 2)... L'atto di prosecuzione è infatti nullo anche per il principio giuridico che informa il disposto del can. 1892, N. 3 ».

B. - In Jure et in Facto. - Sancitum est in can. 11 C. J. C.: « Irritantes aut inhabilitantes tantum leges habendae sunt, quibus aut actum esse nullum, aut inhabilem esse personam, expresse vel aequivalenter statuitur ».

Id autem praesertim valere quoties controvertatur de nullitate ex vitio insanabili, absolutissime tenendum est: sumus enim in odiosis, unde — sicut S. Rota constanter tenuit ac docuit — strictissimae interpretationi subiiciuntur omnes inhabilitantes et irritantes leges, et eo magis, quo difficilius est, vel omnino non datur, contra irritationem remedium.

Attamen, AA. cum jurisprudentia N. S. O. concordantibus, nullitas cuiuscumque actus agnoscenda est nedum quoties, juris positivi praescripto, expresse jubetur, sed et quando ipsius naturalis legis ordinamentis mandatur ac imponitur. Quod plene acceptatum conspici potest in una *Tarentina*, nullitatis matrimonii, coram me ponente, diei 26 februarii 1954, et in una coram Jullien, diei 17 junii 1944, ubi, in explicando can. 1680, § 1, docetur nullum esse actum qualemcumque, si in eo deficiunt « ea sine quibus res, seu actus, vel nullatenus, vel saltem in eadem specie, subsistere nequit, nam si naturae aliquid subtrahitur vel additur, jam altera natura erit ».

Jam ergo, sub expositorum luce, ad assumpti examen attentissimum deveniendum erit.

Primo: Patronus conventorum, provocans ad can. 1884, § 1, nullum tenet, in casu, prosequutionis appellationis actum, eo quod ipsi adiectum utique fuit exemplar *authenticum* sententiae impugnatae, sed exemplar *non authenticum* libelli appellatorii.

Sed statim responderi potest ipsissimis canonis verbis, inter quae illud adiectivum « authenticum » vane prorsus quaereretur:

« Ad prosequendam appellationem — statuitur in cit. can. — requiritur et sufficit ut pars ministerium invocet judicis superioris, ad impugnatae sententiae emendationem, adiuncto exemplari huius sententiae et libelli appellatorii, quem judici inferiori exhibuerat ».

Dicere nolumus quod tantae gravitatis documenta Judici exhibere liceat in exemplari non authentico. Imo, altum proclamatum volumus quaecumque documenta, in genere, vel in originali, vel in authentico exemplari, nulli exceptioni obnoxia, esse praesentanda; at, si quid inadvertenter et illegitime oblatum est, ut vitium, post denunciationem, corrigatur ac sanetur, quis aut quid vetare potest?

Utcumque, saltem agnosci debet jus positivum, pro huiusmodi defectibus, sanctionem nullitatis insanabilis nullibi decrevisse: ipsam, vero, a lege naturali derivare posse inauditum et irrationabile esset.

Secundo: Idem Patronus conventorum provocat, pro sua thesi fulcienda, ad art. 62, § 2, Normarum S. R. Rotae, in quo legitur: « Regula generalis esto exigendum esse ut mandatum concessum sit expresse pro lite apud S. Rotam agenda ».

Sed adhuc idem cl. Patronus obliviscitur adducere locum, ubi sanctio nullitatis insanabilis decernatur.

Agitur — uti patet — non de lege Ecclesiae sed simpliciter de norma in S. Rota vigenti: quae, profecto, adamussim sancteque servanda est, sed non ultra rationales limites urgenda.

Porro: norma, de qua sermo est, nec peremptorie nec cathegorice enunciatur, sicut ex ipso textu eruitur: « *Regula generalis esto etc.* ». Per eiusmodi verba — uti par est — potius quam praeceptum absolutum, simplex consuetudo ponitur, quae generatim in S. Rota servari debet: non autem ita firmiter et constanter, ut jam a priori, et pro semper, quaelibet exceptio excludenda sit, et, si posita, sanctione insanabilis nullitatis plectenda.

Quin imo, praesertim relate ad actus qui litis contestationem praecedunt, quique lato tantummodo sensu judiciales habentur, aequum est ut benigna quadam largitate semper procedatur: etenim, quod singulae normae in S. Rota vigentes ab extraneis ignorari possint, et ideo bona prorsus fide ipsis cunctis, non in omnibus, aliquando satis fiat, facile concedendum est. Ubi autem hoc a Judice deprehendatur, remedium semper in promptu erit, idest remedium sanationis vel ratihabitionis, et ita porro.

In vanum, denique a Patrono conventorum invocatur praescriptum can. 1892, n. 3, in quo sermo est de « sententia », quae certissime — ut ipsa ratio suadet prius quam lex praecipiat — vitio insanabilis nullitatis laborare dicenda est cum quis nomine alterius in judicio egit sine legitimo mandato. Nam irreparabilia tanti defectus consectaria prima fronte conspiciuntur.

Sed, etiam cum agitur de sententiae insanabili nullitate exigenda, bene distinguendum erit inter carentiam, seu omnimodam

legitimi mandati deficientiam, et exsistentiam mandati non ad unguem, juxta praescripta, concinnati: quo in casu, nihil obstat quominus accidentales defectus, qui in exarando et exhibendo mandato forte irrepserunt, ubi aliunde certe constet de voluntate mandantis, accommodari ac sanari possint, congruens remedium singulis casibus applicando. Aliud enim est nihil praesentare, vel, mandato legitimo exhibito, nihil agere intra fatalia, cum quis, nullo modo praepeditus, agere potuisset ac debuisset (cfr. *Salernitana*, coram me ponente, diei 1 martii 1950), et aliud est recte ac tempestive agere, etsi cum mandato non ad legis apicem confecto: inter haec duo, totum caelum medium est.

Rimandis igitur aeque graviterque rimatis, assumpto Patroni conventorum Patres Domini respondendum censuerunt, prout de facto per praesens decretum respondent: « Actus prosequutionis appellationis insanabilem nullitatem, in casu, non sustineri ».

Ideo mandant iidem Patres ut, superata jam quaestione incidenti a Patrono conventorum proposita, illico, quoad meritum causae, ad ulteriora procedatur.

Notificentur statuta haec Curiae X., utriusque Partis patronis, et Promotori Justitiae, ad omnes juris effectus.

Petrus Mattioli, *ponens*
Emmanuel Bonet
Joannes Maria Pinna

TRIBUNAL ECCLESIASTICUM REGIONALE SICULUM PANORMI

MESSANEN

Nullitatis Matrimonii

(Ex vi et metu viro incussis et ob eius impotentia).

SENTENTIA

Facti Species.

1. - E. C., sextum et vicesimum aetatis annum agens, et G. C., adolescentula quindecim annos nata, cum antea fugam una simul patravissent, matrimonium die VI Octobris 1932, Messanae, in paroecia X, rite contraxere.

Post tres fere menses ab initis nuptiis, coniuges ad separationem devenere, quam demum Tribunal Civile Messanen, per sententiam diei X Aprilis 1937, concessit, culpam viro tribuens.

Die autem XVI Aprilis 1951 dominus C. porrexit nostro Tribunali libellum, accusans de nullitate suum matrimonium ob minas acceptas et ob sui ipsius impotentiam. Accepto libello, dubium ita concordatum est: « An constet de nullitate matrimonii in casu: 1° ex capite vis et metus, viro incussi, ad normam c. 1087 C. J. C. - 2° ex capite impotentiae viri, juxta c. 1068 C. J. C.

In Jure.

A) quoad metum.

2. - Juxta canonem 1087 C. J. C. metus matrimonium invalidans debet esse gravis, iniustus, ab extrinseco incussus. Sed talis considerari nequit pressio, a familiaribus exercita in reluctantem, ut, salva eius consensus libertate, aliqua repararetur culpa, vel ut redintegraretur honor laesus, alterius partis quoque aetate et sexu consideratis. Doctrina et jurisprudentia valde ampla et pacifica est quoad metum. Itaque supervacaneum putamus heic nos referre quae ad metus doctrinam explanandam pertinent.

B) quoad impotentiam.

3. - Non generandi quidem impotentia, sed coeundi impotentia matrimonium dirimit. Nam « sterilitas matrimonium nec impedit nec dirimit » (C. 1068, 3). Impotentia coeundi verificatur, si copula coniugalis, quae efficitur « per actus per se aptos ad prolis generationem », (C. 1081, 2), impossibilis evadat ob incapacitatem organicam vel functionalem, congenitam sive acquisitam, dummodo sit antecedens et perpetua. Inter copulae elementa necessaria habenda est, ex parte viri, emissio « veri seminis » in mulieris vaginam, quod solummodo in testiculis conficitur, quamvis spermatozois carere possit. (cfr. Gasparri, De Matr. ed. III n. 567; Wernz-Vidal, Jus Matr. n. 218, nota 5; Cappello, De Matr. ed. III, n. 342; S. R.R. passim, v. g. coram Massimi, XIV Febr. 1924, Vol. XVI, p. 43 et seqq. etc.)

Jurisprudentia, non tantum Rotalis, sensum communem assumens, minime vero sensum specifico medicum, considerat semen testiculare, illud quod efficitur seu elaboratur non solum in didymis vel tubis seminiferis, in testiculorum corpore positis, sed etiam semen canalium efferentium, qui in epididymis inveniuntur: « in formula semen in testicolis elaboratum, vox testiculi non restrin-

gitur ad didymos, sed extenditur ad epididymos; nam licet didymus et epididymus realiter sint duae res distinctae, tamen inter se cohaerent et in eodem scroto quisque didymus cum suo epididymo adhaerente exsistunt atque unum quid moraliter constituunt ». (S.R.R. coram Wynen, Dec. diei XXV Apr. 1944).

Ex hoc sequitur, ut non omnis epididymi occlusio, coeundi impotentiam secumferat, quoniam dari potest, occlusionem pertinere ad partem superiorem seu ad caput nequaquam ad partem inferiorem seu ad caudam epididymi; quo in casu liquidum, ex cauda emissum, vere semen testiculare dicendum est.

Solummodo quando certa sit impossibilitas conficiendi aut emittendi huiusmodi semen testiculare, quamvis sterile, habetur quaedam impotentiae coeundi species.

Talis impossibilitas verificari potest sive ob testiculorum carentiam, sive ob eorum athrophiam, sive ob totam occlusionem viarum, per quas oportet, ut semen transeat.

Sed huiusce rei confirmatio pertinet ad medicos peritos, quorum conclusiones, ut probationis vim habeant, tales esse debent, ut nullum dubium positivum in judicum animos ingerant. Enimvero si impotentia est dubia, « sive dubio juris sive dubio facti, matrimonium non est impediendum », quando contrahi debet, (Can. 1068, 2 C.J.C.); gaudet favore juris, si jam contractum sit. (Can. 1014 C.J.C.).

4. - Viarum seminalium obstructionis causa, cum ex morbis venereis oriatur, per doctrinam et scientiam medicam tribuitur ad peculiare microbum seu gonococcum, quod perniciose agit, immittens se in canales, in quibus semen conficitur vel transit.

Doctor Umbertus Musiani, peritus penes Tribunal Regionale Flaminium, in quadam sua relatione ita describit huiusmodi microbi agendi modum: « Raggiunta l'uretra posteriore, il gonococco può raggiungere la coda dell'epididimo o per via linfatica oppure risalendo a ritroso le vie di secrezione dello sperma, agevolato in questo suo cammino dai movimenti peristaltici scatenati dall'infiammazione... Il gonococco in tal modo si arresta alla coda dell'epididimo o all'inizio del deferente, determinando un processo infiammatorio acuto che comprende il canale epididimario, il dotto deferente ed il tessuto connettivo che li circonda. Man mano che l'infiammazione acuto si attenua, diminuisce l'infiltrazione e tende a limitarsi nel punto ove l'epididimo si continua col deferente. E' da notare che in determinati casi la violenza dell'infezione è tale da giungere alla formazione di veri e propri ascessi o flemmoni... La risoluzione della malattia quindi dipende dalla gravità e dal-

l'entità del processo infiammatorio, potendosi avere nei casi più lievi una « restitutio ad integrum », con pervietà dei condotti ed assenza di qualsiasi reliquato. In casi più gravi può avvenire invece la distruzione del condotto con formazione di un nodulo cicatriziale ben palpabile all'esterno ».

(Riv. Dir. Eccl. 1953, P. II, p. 368, n. 2).

Ut sanaretur huiusmodi impotentiae forma, per scientiam medicam peraguntur tres diversae sectionis chirurgicae species, juxta locum et occlusionis naturam, utpote jam lucide expositum est in sententia S.R.R. diei XXIX Julii a. 1948, coram Wynen, n. 5, quae sectiones substantialiter consistunt in recidendis et rilegandis partibus canalium seminalium occlusis. Tres methodi operationis denominantur « anastomosi deferente-deferenziale; anastomosi deferente-epididimale; anastomosi deferente-testicolare o vasorchidostomia ».

Magis quam efficacitas harum operationum, circa quas medici minime inter se concordant et hoc quoad impotentiae perpetuitatem per occlusionem, Judicum imprimis interest, ut certi ipsi fiant de possibilitate ostendendi per peritos occlusionem exstitisse ante matrimonium.

5. - Error contra scientiam medicam retineri debet adfirmari, quemadmodum dici videtur in sententia coram Wynen diei XXIII Ott. 1943 (S.R.R. Dec. XXXV n. 762), nempe epididymitem bilateralem semper esse causam totius occlusionis in viis seminalibus; occlusio, cum sit morbi gallici frequens effectus, non est quidem effectus necessarius et haud vitandus ipsius morbi. Docet enim S.R.R. « Praevalens est apud medicos doctrina, etsi alii aliter sentiant, juxta quam morbus praefatus (orchite) etsi gravis ex utraque parte, nec semper nec necessario nec in omnibus individuis, qui eodem afficiuntur, secumfert impotentiam incurabilem; plerumque non impotentiam, sed sterilitatem et quidem sanabilem secumfert ». (S.R.R. 1945, vol. XXXVII, dec. XXXIV, n. 3, p. 304).

Item error est retineri nodorum cicatritialium constitutionem, in deferentibus, esse semper rapidam actionem, quae infectionem blenorraghicam sequatur, ut videtur sustinere, in casu nostri Tribunalis, medicus peritior, quando affirmat « è da ritenere che il processo lesivo abbia raggiunto il suo pieno sviluppo nel giro di qualche mese » (Rel. Enderle, pag. 187). Experientia medica ad rem docet, e contra, saepe agi de formatione sive constitutione lenta et graduali, quae, reddens in primo tempore saltem partim pervias vias seminales, solummodo tractu temporis eas omnino occlu-

dere valet. Ad rem S.R.R. sic habet: « A medica ipsamet scientia edocemur obliterationem viarum spermaticarum post blenorrhagiam, non illico et immediate, sed per gradum et progressu temporis determinari; vires enim naturae hisce in adiunctis non illico praeciduntur ». (Coram Quattrocolo, diei 16 Julii 1941, dec. XXXIII, p. 646).

6. - Consequenter simplex infectionis blenorrhagicae certitudo, qua efficiatur epididymites duplex (orchiepididimite), nequaquam concludi sinit in omni casu exsistere quandam vel totam viarum spermaticarum occlusionem.

Nam apud sententiam coram Frattegioni, Trib. Reg. Umbrici, diei XVIII Dec. 1952 sic. habetur: « Potest dari casus indubii morbi ante nuptias contracti at non indubiae occlusionis, quae ex eodem ante nuptias provenerit vel provenerit quidem at non usque ad consummatam impervietatem; sicut dari potest casus, si quid opinamur, curati quidem jam morbi at simul forte irreparabilis occlusionis ab eodem provocatae; rarior, ne dicamus impossibilem, casus incurabilis epididymitis, quin paullatim occlusione inducat » (Riv. Dir. Eccl. 1953, p. II, p. 379).

Itaque quod nostra interest certum reddendum, ut impotentiam coeundi statuamus, haud est circumstantia circa orchiepididymite, sed solummodo factum de occlusione, ob quam semen testiculare omnino transire impediatur. At talis certitudo non est facilis, hodiernis mediis diagnosticis adhibitis; examen obiectivum saepenumero est incertum vel parum veritati accedens, ob peritorum difficultatem concorditer detegendi possibiles nodisitates; si quando hoc possibile evadat, circa earum locum et qualitatem saepe dubium remanet.

Cetera elementa, anamnesis, azoospermia, coitus steriles etc., non sunt talia, ut examini obiectivo deficienti supplere queant. Occlusionis certitudo, juxta sententiam insignium medicorum, qui medicinae legalis doctrina pollent, tantummodo haberi potest per canalium deferentium sectionem chirurgicam. « La constatazione — dicit doctor Baglioni — delle impervietà diretta (dei deferenti) non è possibile sul vivente senza sezione, ma l'impervietà risulta indirettamente dall'esame microscopico del seme che è privo degli elementi fecondanti: zoospermi ». (Sent. del Trib. Reg. Piceno in Mon. Eccl. 1950; fasc.1° p. 8).

Ipse praeclarus doctor Enderle, peritior in hac causa, haec admittit: « Dal duplice esame clinico anatomico sul vivo non si può mai con certezza ammettere o escludere l'occlusione o la pervietà degli epididimi o dei deferenti... ma deve essere completato dal-

l'esame microscopico del contenuto delle vescicole seminali, essendo questo esame l'unico che possa dare elemento di certezza, specie se è ripetuto sul contenuto o meno di nemaspermi di detto liquido, cioè, è l'unico mezzo che permetta di accertare nel caso specifico se il soggetto emetta del vero seme » (Rel. Enderle, p. 183).

7. - Itaque, juxta huiusmodi medicorum iudicia, cum desit sectio in canalium vivo, occlusionis certitudo solummodo ex examine microscopico eiaculatus dari potest. Sed omnibus notum est, huiusmodi examen, praeterquam lege morali et ecclesiastica prohibetur (cfr. SRR. 1945, vol. XXXVII, dec. LXIV, n. 12), ad effectus rerum iudicialium, circa impotentiam coeundi, nullam habere vim.

Nam variis causis nemaspermatum carentia in eiaculatu tribui potest, non exclusa sterilitate naturali, atque occlusio, procedens ex epididymite, tantummodo una ex hisce causis esse potest. Additur quod saepe agatur de azoospermia transeunte.

Juxta medicos, auctoritate insignes, « l'epididimite blenorrogica può lasciare come conseguenza la sclerosi con un nucleo di indurimento persistente, con soppressione della funzionalità dell'organo, azoospermia o sterilità temporanea, o definitiva, fortunatamente rara ». (Gilbert e Cornot, in Terapia cutanea e venerea, trad. Ciuffo) Auctor Della Volta in tractatu De Medicisa Legali ed. 1953, pag. 142, scribit: « In seguito ad epididimite bilaterale si può avere la obliterazione dell'epididimo con conseguente azoospermia. Peraltro in tale evenienza, il giudizio peritale di perdita della capacità di procreare dovrà essere molto cauto e sempre subordinato ad un lungo periodo di osservazione, poichè gli spermatozoi possono ricomparire anche dopo molti anni ».

Id confirmat Georgius Luis, juxta quem azoospermia non est quoddam factum semper constans, quapropter coram eiusdem facti signis seu symptomatibus cavendum est, ne adfirmetur sterilitas certe; atque non sufficit, ut judicium fundetur in uno eiaculatus examine. (Traitè de la blenorrhagie et ses complications, Paris, 1932, p. 521).

Eadem docet auctor Perrando in tractatu medicinae legalis (Napoli 1935), dicens in epididymitis casibus deferentitis ac prostatis: « non si può escludere che la sterilità non sia transitoria. Anche nei casi di epididimite blenorrogica, in oltre il quarto dei casi, si nota azoospermis, ma solo nel 70/80 per cento, questa si ritiene permanente ».

Hoc iudicium evidenter confirmatum est per ratiocinaria circa generationem (italice: statistica), edita a Monad et Terillon, a Gonard et Ligeais, a Jullien, in quibus jam probatum est, azoosper-

miam ob epididymitem bilateralem tantummodo in uno ex decem casibus verificari. Item etiam Renster in sua statistica refert, solum quadragenas binas centesimas partes virorum (42%) nempe quadraginta duos viros inter centum viros, qui epididymite bilaterali afficiebantur, filios non genuisse. (cfr. SRR. 1945, vol. XXXVII dec. XVIII n. 3, p. 171 et dec. XXXIII, n. 3, p. 304).

Si igitur examen microscopicum ejaculatus, quod etiam per repetita experimenta nemaspermatibus carens apparuit, certitudinem dare nequit de canalium seminalium occlusione, ipsum examen non potest constituere probationem judiciariam occlusionis.

Quibus hucusque expositis, prorsus deficit unica ratio et via, per quam, juxta medicum Baglioni et peritiorem doctorem Enderle, deferentium occlusio adfirmari possit. Carentibus autem contrariis probationibus praesumi debet, juxta Jus canonicum, vinculi validitas. (Can. 1014).

In Facto.

I. - quoad vim et metum.

8. - Actor declarat, se nuptiis cum C. fuisse adversum, cum, statim post fugam, inde a primo coitu eam defloratam invenisse, sed coactum fuisse ad matrimonium, minis et verberibus ex parte conventae fratrum. Testes, ab actore inducti ad confirmandas minas, sunt eius quondam comites militiae vel captivitatis tempore, qui ab ipso praesumptam de minis circumstantiam didicerint, de qua tamen omnes res singulas ignorant.

Ita C. Januarius, Y. C., B. Renatus; demum exstat ipsius actoris mater, quae deponit res ampliores quam filius, loquens quoque de mortis minis.

Omnes ceteri testes aut ignorant exstitisse minas, aut minas expressis verbis negant, quia directe matrimonii facta cognoverant, affirmantes dominium C. uxorem duxisse mulierem conventam vero cum amore et plena libertate.

Testis Canonicus Rosarius D'Andrea, familiae C. amicus et qui omnia matrimonii facta bene noverat, deponit: « Il matrimonio fu celebrato con concorde volontà delle parti; non mi costa nè di pressioni nè di minacce ».

Aurelio, unus ex conventae fratribus, qui actorem, juxta huius depositionem, minitatus sit et percusserit, declarat: « escludo nel modo più assoluto che ci siano state minacce e di sequestro di persona di alcuno, sia dalla mia famiglia o di estranei ».

Easdem declarationes emittunt testes Gaia et Gallo, quae

maximopere extollunt ardentem actoris amorem erga sponsam, eiusque laetitiam deinde in contrahendo matrimonio.

Quod conviventia coniugalis solum post vix tres menses abrupta sit, id tribuendum est actoris adulterio ab uxore detecto, qua de causa ipsa facile obtinuit a Tribunali Civili separationem legalem ob viri culpam.

Itaque nullus metus et eo minus gravis ex processus actis eruitur, ideoque consensus adhibitus ab actore, in celebrandis nuptiis, recte jureque liber et validus habendus est.

II. - QUOAD IMPOTENTIAM COEUNDI.

9. Circa impotentiam coeundi actor declarat, se anno 1930 blenorrhagia affectum esse, quae ex se epididymitem bilateralem effecit, totam viarum seminalium obliterationem ita gignentem, ut ipse non fuerit capax semen testiculare emittendi. Ad hoc confirmandum actor exhibuit Tribunali documentum sibi a doctore Raphaeli D'Andria porrectum de die XVI-X-1950, in quo affirmatur hodierna actoris impotentia, quia « nell'esaminato le vie seminali efferenti sono ambedue assolutamente obliterate ». Ipse doctor D'Andria subiecit ad examen microscopicum actoris eiaculatum, et eum nemaspermatibus carentem invenit.

Est quoque in actis aliud documentum nosocomii civilis Messanen, vulgo « Piemonte », penes quod actor receptus est ob contagium morbi gallici.

In huiusmodi documento legimus: « (C.) è stato ricoverato il giorno 17 del mese di ottobre dell'anno 1930 per (diagnosi) Appendicite acuta sin, orchiepididimite sin. acuta con blenorragia in atto. E' stato dimesso il giorno 22 del mese di Ottobre dell'anno 1930 ».

Locutio « appendicite acuta sin. » evidenter dicenda est simplex ex parte scribae nosocomii, cum notum sit, organum appendicolare ordinarie, non in laeva, sed in dextera parte situatum esse.

Juxta peritiorem, doctorem Enderle, diagnosis ita corrigenda esset: « Orchite acuta D.; orchiepididimite S. acuta »; sed haec correptio, omnino praesumpta, minime nobis persuadet. Si enim facile est nos admittere quendam errorem circa morbi denominationem (appendicite per orchite, deferentite etc.); non idem dicendum est circa reliqua (destra per sinistra), eo magis quod proposita locutio non videtur verisimilis juxta purum medicum sermonem.

Nobis igitur huiusmodi documentum tantummodo hanc vim

habere videtur, quod anno 1930 actoris blenorrhagia constiterit; sed nescimus, num morbus affecerit alterum an utrumque testiculum, vel quos effectus ad canales spormaticos attulerit.

Forsan aliquid scire poteramus, si dominus C., potius quam diagnoseos documentum, Tribunali exibuisset chartulas clinicas de tempore, quo nosocomio vitam degere debuit. Hoc quidem actor nequivit aut agere noluit.

10. - Ex testium depositionibus parum vel nihil emanat de actoris statu sexuali matrimonii tempore. Doctor Raimundus Di Prima, pharmacopola, solum declarat, per annos 1930 et 1931 domino C., ex nosocomio « Piemonte » dimisso, se medicinas vendidisse. Sed pharmaca scite praeparata actori porrecta, contra morbum gallicum apta remedia erant, ut « acqua-minerale per impacchi ai testicoli, vaccino antigonogoccico... irrigazioni disinfettanti con siringhe uretrali ». Testis scit agi de blenorrhagia et orchite, suo ipsius judicio, duplice, « perchè la pomata all'ittiolo veniva applicata a tutta la parte »; sibi vero declarat non constare num » (actor) in quel periodo abbia avuta l'occlusione delle vie spermatiche o altre conseguenze ».

Doctor Bellino Antoninus, autem, quoque pharmacopola, adfirmans prorsus et praecise dominum C. affectum fuisse « blenorragia con orchite bilaterale e con occlusione totale delle vie spermatozoiche... inguaribile », declarat se sibi efformasse huiusmodi judicium « perchè io stesso potei osservare i suoi testicoli gonfi ».

Evidenter ut concludatur agi de orchite bilaterali una cum viarum seminalium occlusione, requiruntur jam altiora argumenta et experimenta, quam simplex testiculorum enflatio (dr. Bellino), aut merus usus medicaminum contra luem veneream vel unguenta pro testiculis (Dr. Di Prima)!

11. - Ex doctoris D'Andria depositione, qui inspexerat dominum C., anno 1950, cum judicans impotentem ad coitum, revelatur actorem eo tempore ostendisse « noduli et esiti di blenorragia subita, secondo la anamnesi, ad epoca anteriore al matrimonio ». Testis rogatus, ut obiective et praecise statueret contagionis tempus una cum consequenti occlusione, solummodo adfirmavit quod « la epoca è certamente di antica data; per la precisione non c'è che rimettersi all'anamnesi .»

Attenta autem natura progrediente orchitis, quae ad sui plenitudinem pervenire potest cum viarum spermaticarum gradatim destructione, sola verificatio eius existentiae anno 1930 et anno 1931,

non sufficit, ut certitudinem praebeat; eodem tempore exstitisse jam quoque ductuum occlusionem vel totam occlusionem.

Itaque, quamvis admittere possimus anno 1950, quando doctor D'Andria in actore notavit nodulos epididymales, quos ipse occludentes iudicavit, actorem fuisse revera impotentem ad eiaculandum verum semen, eadem res adfirmari nequit matrimonii tempore, nempe anno 1932.

Doctor D'Andria, contraria sustinens, nullis aliis documentis uti potest, nisi anamnesi, quae evidenter, in processu judiciali, sola probationis elementum consistere non valet, neque ad eam complendam sufficit documentum nosocomii « Piemonte », de quo supra. Nam ex hoc documento revelari tantum potest, anno 1930 exstitisse in actore orchitem (simplicem an duplicem?), sed nequaquam iam evenisse totam viarum seminalium obliterationem.

12. - In hac causa tres fuere ex officio peritiae. Cum vero utriusque doctoris, Eleuterii Boganelli et Georgii Jacobelli, peritiae discrepantes se praetulissent, praecipue de statu et de numero nodorum cicatritialium in epididymis, Tribunal disposuit superperitiam, quae demandata est doctori Carolo Enderle, utpote peritiori.

In suis conclusionibus tam periti quam peritior sunt concordes, affirmantes actorem in actu esse reapse impotentem ad coitum, cum eius viae spermaticae sint omnino occlusae ob nodulos, qui impediunt seminis testicularis emissionem. Ipsi doctores, solummodo praesumptionibus freti, declararunt se esse certos de nodorum formationis tempore, atque de subsequenti canalium obliteratione, definientes remotum tempus ac praecise ante matrimonium, veluti affectum blenorrhagiae, quae in actore apparuit anno 1930.

Quamvis argumenta ad scientiam pertinentia, a peritis adducta, veluti fundamentum eorum conclusionum, recte valida agnoscenda sint, tamen Judicum est, in similibus casibus, examinare, num huiusmodi argumenta inveniant vim et satis justificationis in jure, in doctrina atque in praevalenti praxi judiciaria.

Nam, ut habeatur *certitudo moralis* circa alicuius facti pathologici exsistentiam, non semper argumenta, quae medicis satis sunt, eadem argumenta judicibus quoque sunt sufficientia, cum ipsi debeant argumentorum fundamentum diligenter cribrare, characterem et vim probationis bene perpendere, ita ut dubii aut erroris vera probabilitas excludatur.

Praesertim in causis judicialibus dari non potest absoluta probationis vis anamnesi aut aliis indiciis incertis et ambiguis, quae peritorum conclusionum fundamentum forsan constituunt.

13. - Quibus praemissis, videamus num ex peritiis emergat probatio juridica de canalium occlusione in actore hodie et praecipue matrimonii tempore. Circa nodorum praesentiam in epididymis, et generatim circa statum organorum, quae sunt propria ad formandum et emittendum semen testiculare in actore, revera in omnibus tribus peritiis non habeatur plena uniformitas.

Peritus Boganelli dicit: « i didimi, di normali dimensioni, sono lisci, di normale consistenza e con normale sensibilità specifica. Possono essere palpati senza che la manovra provochi dolore ». Peritus observant: « un ispessimento a manicotto della lunghezza di un centimetro circa all'epididimo destro, alla coda » et « un nodo voluminoso delle dimensioni di una ciliegia », idem peritus ad laevum epididymum, item ad caudam, notat: « il deferente destro è normale, quello sinistro è un pò ispessito ».

Etiam peritior Enderle revelavit « un grosso nodo di sclerosi a S. in corrispondenza della coda e un indurimento a D. parimenti in corrispondenza della coda dell'organo ».

Peritus autem Jacobelli, qui affirmante perito Boganelli testiculos esse normales, eruit e contra testiculos « notevolmente ipotrofici » plus testiculum laevum quam dexterum. Ipse doctor etiam revelavit in epididymo dextro non unum nodum (Boganelli-Enderle), sed « vari noduli cicatriziali; a quello sinistro un ingrossamento alla coda e noduli cicatriziali verso la testa ».

Quo posthabito extremo repertu, qui omnino caret in alteris duabus peritiis, miramur, quomodo peritus potuerit notare « vari noduli » in utroque epididymo, cum ceteri duo periti tantummodo unum nodulum observaverint. Neque nobis persuadet explicatio, circa huiusmodi discrepantiam, nobis expressa a petitiore, qui id tribuit « alle finezze del senso del tatto dell'esaminatore e il grado di maggiore o minore replezione dei vasi dell'esaminato », eo magis quod, cum peritus Jacobelli nullam dederit signationem de nodorum numero, eius inventum apparet magis magisque pugnans cum ceterorum peritorum numero. Nisi enim noduli, quamvis maiores fuerint numero, ad dimensiones sufficientes perveniant, ut canales occludant, liquidum seminale facile transire potest.

14. - Attamen hoc quoque posthabito, ex trium peritorum observationibus coniunctis, deducere possumus, epididymorum hodiernam conditionem in actore non esse equalem in utroque. Nam, cum in sinistro sit nodus scleroticus magnitudinis « una ciliegia » (Boganelli), aut « piccola ciliegia » (Enderle), in destro solum notatur « un ispessimento a manicotto lungo circa 8 mm ».

Ut patet, haud parva est epididymorum status differentia, quo-

niam, etsi concedatur epididymus laevus esse occlusus, tamen dubitari potest epididymum dexterum non esse occlusum. Hoc solus peritus Boganelli explicite admittit, dicens: « l'epididimo destro... presenta un indurimento del canale molto modesto e questo dato... non basta da solo a testimoniare la impervietà del condotto, su cui ha sede ».

Ceteri duo periti Jacobelli et Enderle e contra, innixi variis elementis de quorum vi mox dicemus, neglecta actuali epididymorum diversa conditione, utriusque impervitatem in complexu admittunt. Attamen eorum judicia solummodo praesumptiva sunt. Nam peritus Jacobelli dicit: « le condizioni delle vie seminali efferenti sono verisimilmente tali da non permettere il passaggio del prodotto testicolare... Ho usato la parola « verisimilmente » perchè, pur essendo questa la regola della letteratura medica, esistono casi eccezionali in cui tale passaggio si è potuto verificare ». Eodem modo loquitur peritior Enderle: « il nodulo riscontrato all'epididimo S. e l'ispessimento fibroso di 8 mm. circa riscontrato al globus minor D. sono tali da far ritenere una loro impervietà ».

Evidenter sententia de matrimonii nullitate non potest fundari in medicorum judicialiis, quae exprimuntur per asseverationes praesumptivas et demum incertas circa facti possibilitatem. Quod in casu agatur de meris praesumptionibus atque de judiciis subiectivis, id ab ipsis peritis declaratur. Ipsi enim adfirmant impervietatem epididymalem in actore non posse certo statui ex solo examine obiectivo, sed, juxta ipsorum judicium, deducendam esse ex aliquibus elementis simul coniunctis, quae « singolarmente considerati non permettono di formulare un giudizio moralmente certo di occlusione ».

Juxta peritum Boganelli talia elementa indiciaria sunt: « la infruttuosità dei rapporti intimi con la prima fidanzata e con la moglie e l'assenza di nemaspermi nello eiaculato, riscontrata due volte da medici diversi a distanza di tempi ». Idem peritus tamen, quod attinet ad actoris infecundas uniones sexuales, admittit: « il valore probativo di questo dato non è grande », cum id dependeat ex mulieris aut viri praecipua sexuali conformatione; atque nos adiicimus: ex eorum peculiaribus conditionibus geneticis forsan transeuntibus.

Quoad vero spermatematum carentiam in liquido, jam notum est, qui sit huius carentiae valor in causis judicialibus. Ipse peritus, etsi perveniat ad conclusionem minime acceptam in judiciorum praxi, hanc de carentia indicat rationem: « Senza dubbio non sono rari i casi di azoospermia transitoria; pertanto un esame unico od anche esami ripetuti a poca distanza di tempo non dimostrano

l'esistenza di una azoospermia permanente. Ma se gli esami sono stati ripetuti a notevole distanza di tempo e sia la prima che la seconda volta sono riusciti negativi per la esigenza di nemaspermi, il loro valore è considerevole ».

Non videmus curnam examen, quod multos post annos repetitur, habendum sit majoris probationis, quam examen quod peragitur per breve temporis intervallum; nam temporis spatium non aufert, personam examinandam, in ipso examinis momento, ob varias causas esse in azoospermiae conditione. Ceterum ipse doctor peritus videtur non esse prorsus certus de horum indiciorum valore quando concludens dicit: « E' chiaro che il mio giudizio è condizionato dalla incapacità a mentire del Sig. C. » nempe, peritus dicit, se esse certum, nequaquam per examinis fundamentum, sed quod non dubitet de veridicitate eius, qui affirmat, se esse impotentem. Si medicus generaliter juste recteque credere debet clientis anamnesi, ad eum secundum morbos curandum, idem medicus, qua peritus judiciarius judicium sibi efformare debet praecipue ab examine obiectivo.

15. - Peritior doctor Enderle, etiamsi affirmet actoris canales deferentes esse impervios, pluries repetit, solam evidentiam nodorum epididymis exsistentium, non satis esse ad emittendum judicium certum de canalium occlusione. Unica via et ratio secura, juxta eundem peritiorem stat in examine microscopico eiaculatus. Dicit enim ipse: « Il problema della sterilità del soggetto non può essere... risolto solo dalla conetatazione o meno di noduli negli epididimi o nei deferenti, poichè la presenza di questi e la loro eventuale consistenza e il loro volume, possono solo fornire elementi intuitivi indiretti di giudizio; l'unico elemento probatorio essendo dato dalla presenza o assenza di spermatozoi (nemasperma) nel secreto delle vescicole seminali ».

Ipse peritior de sua ipsius persuasione probationum affert cum sponte et absque aliquo Tribunalis mandato curaverit, examen liquidi seminalis actoris peragendum per doctorem Tullium De Santis.

Praeterea idem clarissimus Enderle, qua pollet doctrina et scientia, cum doctrinam medicam de inflammationis processu ex blenorragìa exposuisset, ita pergit dicere: « sul vivo... un grosso nodulo cicatriziale che interessi una parte del globus major epididimi o la faccia esterna dei tubuli seminiferi del corpo dell'epididimo, può lasciare ancora un passaggio di nemaspermi non occludendo necessariamente tutte le vie spermatiche del globus major o del tutto, il cunicolo del corpo « epididimo », mentre un processo

infiammatorio che abbia lasciate quale traccia sola, un piccolo nodulo cicatriziale al globus minor o abbia prodotto per la sua sede intracanalicolare una coalescenza delle pareti interne del canalino seminifero o del deferente, può portare ad una impossibilità assoluta ai nemaspermi di uscire dal testicolo ».

Hisce de causis juxta peritiorem « la valutazione o meno del danno verificatosi sulle vie escretizie dei testicoli, non può e non deve mai basarsi sul solo esame clinico del soggetto, ma deve essere completato dall'esame microscopico del contenuto delle vescicole seminali, essendo questo esame l'unico che possa dare elemento di certezza, specie se ripetuto, sul contenuto o meno in nemaspermi in detto liquido, cioè, l'unico mezzo che permetta di accertare nel caso specifico se il soggetto emetta del vero seme ».

Stantibus sic rebus, cum examen obiectivum solum, nequeat determinare, quae sit vera viarum sperimenticarum conditio, judicium certum de occlusione neque a peritis, neque, eo minus, a judicibus efformari quit, nisi per alia indicia, dummodo sint certa et sufficientia.

Quoad peritos, ipsi retinuere uti sufficientia alia elementa, e. g. actoris infecunditatem, nemaspermatibus carentiam in duobus examinibus; sed notandum est, procul dubio, agi de elementis valde genericis, haud certis, atque perinde, nihil probantibus.

Jam superius diximus de illiceitate morali et de nulla vi juridica circa examen microscopicum eiaculatus, cuius fortuita azoospermia, quamvis certa, non tribuenda est necessario viarum seminalium obliterationi, non obstantibus contrariis apparentiis, cum talis azoospermia effici possit per varias causas pathologicas vel non, perpetuas aut transeuntes. Si igitur examen microscopicum juxta peritiorem constituit « l'unico mezzo » ad acquirendam occlusionis certitudinem, cum examen hoc nequeat esse possibile moraliter, neque probans juridice, deesset possibilitas acquirendae huiusmodi certitudinis. Quod attinet ad alterum elementum, nempe, ad actoris infecunditatem, cum haec non esset necessarius et absolutus effectus contagionis epididymalis, tribui potest multis aliis causis, minime exclusa eius naturali sterilitate. Itaque infecunditas non est certum probationis elementum. Dubia igitur permanet actoris impotentia actualis, juxta peritorum examen, juridice et ad trutinam perpensum.

16. - Sed, conclusionibus peritorum adsentientes, admittamus quidem actualem actoris occlusionem, sed negare non possumus majorem esse difficultatem determinandi actoris impotentiam matrionii tempore.

Prima visitatio medica, peracta a doctore D'Andria, evenit anno 1950 et tunc doctor in actoris epididymis notavit nodorum exsistentiam. Deinde secuta sunt examina paritorum ex officio annis 1953 et 1955; cum matrimonium contractum sit anno 1932. Unicum et solum documentum, testificans contagionem anni 1930, habetur ex parte nosocomii « Piemonte », ex quo documento non solum non emergit nodulorum praesentia, et consequens canalium occlusio, sed cum certitudine quidem non eruitur orchiepididymites bilateralis. Cum notum sit nodorum scleroticorum formationem, etsi post breve contagionis tempus incipiat, augescere posse et pervenire ad completum formam valde lente, liceat nobis quaerere: quandonam in casu nostro in actore nodulorum formatio evenerit, quandoque noduli pervenerint ad formam et consistentiam actualem, per quam doctores periti occlusionem praesumpserint?

17. - Huiusmodi interrogationi, periti concorditer conati sunt respondere, affirmantes impossibile esse determinari, quando viarum seminalium processus scleroticus in actore initium sumpserit, sed certe id remotiore tempore evenisse. Nam peritus Boganelli dicit: « E' noto infatti che il medico può affermare genericamente che uno o più nodi di sclerosi sono di antica data, ma non può precisare, in base ai soli elementi obiettivi, in qual momento abbiano avuto inizio o si siano stabiliti ».

Peritus Jacobelli declarat: « Non è possibile stabilire l'epoca precisa cui rimontano le cicatrici riscontrate nell'apparato genitale. Tuttavia si può verisimilmente credere all'epoca d'infezione riferita con giuramento dal Sig. C....E' presumibile che le anomalie siano esistite nell'ottobre del 1932 ».

Eandem opinionem amplectitur *peritior*, quamvis praemittat: « A tanti anni di distanza non è possibile determinare a misura di mesi la datazione di un processo patologico ».

18. - Omnia haec in aperto sunt; sed, cum quidem periti admittant impossibile esse determinari occlusionis tempus, nobis nec clare nec conveniens videtur, peritos posse statuere totam occlusionem evenisse tempore nuptiis antecedente. Peritus Boganelli suum efformat iudicium, nodulis epididymorum hodiernis ac carentia nemaspermatum innixus, quae carentia, juxta ipsum, confirmatur ab actoris infecunditate unionum sexualium, quas ille patraverat.

Sed, quamvis hisce elementis coniunctim aliquam vim dare velimus, impossibile est ab iisdem elementis, conclusionem certam et absolutam erui de occlusione ante matrimonium, cum conclusio sit major quam praemissa; nam ab elementis dubiis aut nullius ponderis, perveniri nequit ad certitudinem. Nunc nullum dubium est

quin talia sint elementa a perito adducta, qui ceterum ad anamnesim demum se remittit, dicens: « questo giudizio è condizionato dalla veridicità del periziando ».

Peritus Jacobelli se refert ad regulam generalem juxta quam « si sa che le orchiepididimiti blenorragiche sogliono lasciare noduli cicatriziali nelle vie genitali e in particolare sul decorso spermatico ». At notandum est, etsi haec sit regula generalis, effectus et formae contagionis non semper, in omnibus casibus atque in omnibus viris, eadem et aequalia esse. Quod attinet ad casum praesentem, nolentes quidem praesumere agi de exceptione quoad dominum C., notamus tamen aliud esse inveniri nodorum praesentiam anno 1953, aliud ex hoc statui, eos adesse inde ab anno 1932, et tales ut prorsus vias seminales occluserint.

Huiusmodi conclusio est tam incerta, ut ne peritum quidem effugerit, qui concludit dicens: « Tuttavia in medicina non si può assicurare in modo assoluto; nel caso particolare delle infezioni blenorragiche, si comprende come il nodulo cicatriziale lungo la via deferente dello sperma, possa occludere totalmente la via stessa oppure lasciarla, anche con tramite sottilissimo permeabile ».

Quod si res ita stant, quid nobis persuadet, ut retineamus certe non permeabiles actoris canales etiam per « tramite sottilissimo », ac praecipue, qua certitudine adfirmare possumus huiusmodi non permeabilitatem inde ab anno 1932? Perito Jacobelli res videtur « verisimile », sed judicium certum nequaquam emitti potest solummodo per verisimile, nisi confirmatum sit certis et evidentibus probationibus.

19. - Neque magis persuadens nobis apparet peritus doctor Enderle, qui adfirmat: « è da ritenere che il processo lesivo abbia raggiunto il suo pieno sviluppo nel giro di qualche mese e cioè assai prima della data del matrimonio del C. (1932) in ambedue i testicoli ». Peritior vero fundat suum judicium in elementis, quae, nec singillatim neque cumulatim, aliquam veram afferunt probationem. Nam neque a documento nosocomii « Piemonte » circa contagionem a. 1930, neque per ulteriorem complexuum carentiam post annum 1930, neque minus ex « dati anamnastici raccolti e dall'esame clinico, appare evidente che i processi morbosi che colpirono i due testicoli (in senso lato) siano contemporanei e di data assai lontana ».

E contra ex documento nosocomii discimus tantummodo « orchiepididimite sin. acuta con blenorragia in atto », cum nihil deduci possit circa contagionem partis dexterae, neque praecipue circa effectivam conditionem totius canalium occlusionis eo tempore.

Quod desunt notitiae de ulterioribus complicationibus posterioribus, id certe non significat processum scleroticum progressum progressum esse et completum esse ante annum 1932, matrimonii tempore, cum vero potuisset lente pervenire postea ad plenam efficientiam volventibus annis. Peritior enim ipse docet: « i processi patologici, nel passare da una fase acuta ad una fase cronica, hanno una evoluzione tipica, così pure evolvono, per quanto lentamente, durante la fase cronica, fino a raggiungere una fase di stabilizzazione ».

Dubium autem in hoc consistit: quo tempore talis phasis cronica processus sclerotici, in actore initium ceperit ac dein ad stabilitatem pervenerit? Nam haec sola praesumere facit totam ductuum occlusionem. Denique neque anamnesis constituit probationem, maxime cum actor non videatur omnino credibilis; neque probationem constituit examen clinicum de hodiernis actoris conditionibus post viginti annos. Periti enim concorditer declarant, examen clinicum solum, non esse sufficiens ad determinandam existentiam occlusionis aut secus.

20. Peritioris judicium, ceterum prorsus praesumptivum, non videtur nobis semper cohaerere cum doctrina et principiis ab ipso prolatis. Nam clarissimus doctor sustinet judicium circa veri seminis absentiam « non può e non deve mai basarsi sul solo esame clinico dei soggetti, ma deve essere completato dall'esame microscopico del contenuto delle vescicole seminali, essendo questo esame l'unico che possa dare elemento di certezza ». Admittentes uti hypothesim huiusmodi principium, recte quaerimus, quomodo peritior retinere possit, actorem esse impotentem inde a nuptiarum tempore (a. 1932) ob totam ductuum occlusionem, cum desit quodcumque examen eiaculatus, peractum eo tempore. Bis enim examen peractum est: anno 1950 a doctore D'Andria, uti medico privato; anno 1955 a doctore Tullio De Santis, de mandato peritioris doctoris Enderle.

Nunc, haec examine recentia nequibant certe esse apta peritiori, ut ipse affirmaret sive hodiernam actoris azoospermiam, sive, majori ratione, azoospermiam matrimonii tempore, nempe abhinc viginti tres annos. Neque dici potest actoris infecunditas constituere huiusce azoospermiae confirmationem, quandoquidem alia est sterilitas, alia est impotentia coeundi ob veri seminis carentiam.

21. - Peritior praeterea affirmat: « Non è possibile dire se i noduli, riscontrati negli organi del C. oggi, avessero nel 1932 le stesse caratteristiche ».

Id significat, ut nobis videtur, nodulos, hodie conspectos, potuisse non existere anno 1932, aut saltem in eis non esse « le stesse caratteristiche » quas illi hodie praeseferunt, ideoque tunc esse tales ut, sine quantitate et sine consistentia, non potuerint omnino occludere canales.

Haud intelligitur quomodo peritior, cum impossibile sit nodulorum conditiones matrimonii tempora probari, audeat iudicare in actore exstitisse « lesioni occlusive intracanali tali da bloccare la emissione dello sperma... prima del 1932 ».

22. - Alia *discrepantia* nobis videtur notanda esse inter duas peritioris assertiones. Ipse enim primum adfirmat: « ritenere che il processo lesivo abbia raggiunto il suo pieno sviluppo nel giro di qualche mese... in ambedue i testicoli » alias loco de hypotrophia testiculorum locutus, scribit: « E' noto che per mancato afflusso dello sperma dei dotti testicolari, si produce in questi uno stato di ipertensione che lede in un primo tempo le cellule di Lajdich (spermogene) e poi tutto il tessuto dei tuboli, portando ad una vera ipotrofia del testicolo, processo che, però, ha bisogno di molti anni per raggiungere il grado che presenta nel paziente ».

Utrum igitur peritiori credendum est cum ille dicat satis esse « qualche mese », an cum declaret necesse esse « molti anni »? Neque dicatur aliud esse « il pieno sviluppo » viarum seminalium, aliud « ipotrofia dei testicoli », quia si verum est, quemadmodum affirmat peritior, hypotrophiam multis annis perfici, sequitur ut dominus C., nuptiarum tempore, certe semen testiculare conficere quiverit, quod, canalium occlusionis probatione deficiente, potuit probabiliter, quamvis in parte minima, emitti ad extra.

Aliunde concedentes quidem nodos in epididymis formatos esse matrimonii tempore, ipsi noduli per se, certe scimus, non semper et necessario, occlusionem perficiunt, uti periti affirmant.

Peritior praecipue ad rem scribit: « La formazione dei noduli sulle vie genitali quale reazione ad un processo blenorragico, è un processo reattivo progressivo, il cui apprezzamento clinico palpatorio può anche mancare... La formazione dei noduli in se non può portare ad una valutazione della funzionalità delle vie escretorie dello sperma, potendo essere occluse, in assenza di noduli accertabili con la palpazione ed invece essere pervie, quando ancora i noduli non si siano formati ».

Si res ita se habet, valde clarum est, nodulorum exsistentiam in ductibus deferentibus fere nullam habere vim ad eorum occlusionis effectus, cum ductus esse possint pervii, nodulis certe probatis, atque esse impervii, nullis ibi inventis nodulis.

Hisce expositis, peritioris conclusio magis magisque sibi discrepans apparet, qui, tam claris principiis nonobstantibus, non solum ad actualis occlusionis certitudinem deveniat, sed prorsus ad certitudinem matrimonii in casu anteriorem.

23. - Tam peritiae quam testimonia non sunt talia, ut in Judicibus efformetur certitudo moralis necessaria, de actoris impotentia coeundi matrimonii tempore. —

Itaque supervacaneum est investigari de assertae impotentiae perpetuitate, eo magis quod, etiam infitiantibus peritia, non omnino excludatur, in casibus similibus, actio chirurgica, cum praevisione et fructuosis effectibus ad aperiendas canalium vias.

24. - Quibus omnibus tam in jure quam in facto, perpensis, NOS infrascripti Judices pro Tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, Christi Nomine invocato, respondentes NEGATIVE ad utrumque dubium concordatum, pronunciamus, declaramus et definitive sententiamus NON CONSTARE DE NULLITATE MATRIMONII IN CASU. Decernimus autem judicii expensas ab actore solvendas esse.

Ita statuimus et declaramus, mandantes locorum Ordinariis atque Ministris Tribunalium ad quos spectat, ut exsecutioni committant hanc Nostram definitivam sententiam ad normam sacrorum canonum.

Panormi, ex Aedibus Tribunalis Regionalis Siculi die mense et anno ut supra.

Sac. JOSEPHUS AUGELLO - *Praeses et Relator*
P. EUSEBIUS A CASTRONOVO O. F. M. - *Judex*
P. MICHAELANGELUS LIPARI O. F. M. - *Judex*

STUDIA
ET
CONSULTATIONES

MATRIMONIUM CORAM SOLIS TESTIBUS

Amandus, vicarius cooperator non praeditus facultatibus delegatis in re matrimoniali, telephonice vocatur ad Palmirum, in periculo mortis constitutum. Hic per multos annos neglexit obligationes suas religiosas. Nam cum matrimonium suum coram Ecclesia initum cum Agatha infelicem habuerit exitum, divortio civili obtento actu civili contraxit cum Lina, catholica eiusdem generis. Nunc autem, gratia Dei motus, cupi Deo reconciliari. Amandus scit parochum suum profectum esse a paroecia, non reversurum ante vesperas diei sequentis, ita ut Palmirus versetur in adiunctis de quibus agit c. 1098. Audiens confessionem Palmiri, audit facta modo narrata. Interrogatus Palmirus respondet se certo scire Agatham a quinque annis esse defunctam et paratum esse hoc iuramento confirmare.

Amandus petit a Palmiro ut velit, suspensa confessione, res extra confessionem narrare, ut possit curare matrimonii convalidationem. Palmirus hoc facit, et mortem Agathae sub iuramento testatur. Etiam Lina vocata idem affirmat cum iuramento. Inquirit utrum praeter impedimentum criminis alia obstent impedimenta. Haec non adesse apparent. Quapropter agens tamquam sacerdos assistens ad normam c. 1098 n. 2. vi facultatis concessae c. 1044 Palmirum et Linam dispensat ab impedimento criminis. Deinde mittit Linam ad vocandas duas personas, quae tamquam testes adsistere possunt. Ipse interim prosequitur in audienda confessione Palmiri eumque absolvit. Lina invenit Paulum, amicum Palmiri, quem adducit, simulque Amando dicit se non posse invenire aliam personam. Nihil refert, respondet Amandus; ego agam ut secundus testis. Explicat Paulo qua de re agitur eumque invitat ut velit per breve tempus expectare. Petit a Lina ut et ipsa velit bonam perficere confessionem, cum agatur de recipiendo sacramento matrimonii, eamque audit et absolvit in camera attigua. Deinde Paulo et ipso adstantibus seu coram duobus testibus excipit consensum Palmiri et Linae. Deinde Palmiro praebet extremam unctionem et SS. Viaticum, cum benedictione Papali.

Quaeritur utrum validum sit matrimonium inter Palmirum et Linam?

1. In c. 1098 non statuitur quod matrimonium in adiunctis ibi descriptis celebrari potest absque forma iuridica servanda, sed statuitur hoc fieri posse in *alia* forma iuridica, scilicet *coram duobus*

testibus, ideoque absque sacerdote praedito potestate assistendi ad normam canonum 1094-1096.

2. In c. 1044 conceditur tam confessario quam sacerdoti assistenti ad normam canonis 1098 § 2 seu assistenti absque potestate de qua sermo est in cc. 1094-1096, potestatem dispensandi ab impedimentis (duobus exceptis) et a forma iuridica servanda, quin canon distinguat inter formam ordinariam et extraordinariam, canone 1098 statutam.

3. Amandus reapse usus est potestate dispensandi ab impedimento criminis; non autem potestate dispensandi a forma servanda. Potuit etiam in hac dispensare, sed hoc non fecit, quia hoc non iudicavit necessarium.

4. Responsio ad quaestionem utrum matrimonium inter Palmirum et Linam celebratum (convalidatum) sit validum dependet a responsione ad quaestionem utrum partes consensum dederint « coram duobus testibus » necne. Verba c. 1098 ius quoad hanc obligationem sic enuntiant: « validum et licitum est matrimonium coram solis testibus; in utroque casu si praesto sit alius sacerdos (i. e. sacerdos non praeditus potestate assistendi) qui adesse possit, vocari et, una cum testibus, matrimonio assistere debet, salva validitate coram solis testibus ». Iste sacerdos est proprie sacerdos cui c. 1044 concedit facultatem dispensandi, de quo in n. 2 locuti sumus. Ut habeat has facultates sufficit, ut paratus sit ad assistendum matrimonio celebrando in adiunctis de quibus agit c. 1098 sive sit vocatus, sive sponte vel casu praesens [1].

5. Ut obtineamus responsionem rectam praenotemus oportet quaedam, de quibus non vigere potest dubium, scilicet:

a) agitur de *duobus* tantum *testibus*, non requiruntur tres.

b) huiusmodi testis potest etiam esse sacerdos; ita ut si nihil fuisset dispensandum, Amandus certissime potuisset iniungere Palmirum et Linam ut praestarent consensum coram se (Amando) et Paulo, testibus. Matrimonium tunc esset certissime validum in quantum validitas dependet a praesentia duorum testium [2].

c) Verbum « assistere » in contextu habet sensum naturalem et simplicem; huic verbo non applicantur quae in c. 1095 § 1 n. 3 dicuntur explicite de parocho et Ordinario loci, sed quae etiam

---

[1] Facultates non possunt dependere ab actuali assistentia ad ipsum actum celebrationis, nam hoc momento dispensatio iam debet esse concessa. Sacerdos fit « sacerdos assistens ad normam c. 1098 » a momento quo manus imponit negotio cuius finis est ipse actus celebrationis.

[2] Maneret quaestio distincta utrum servatum sit praescriptum c. 1098 n 2, sed haec quaestio numquam respicit validitatem matrimonii.

valent de sacerdote assistente cum potestate delegata. Hic canon 1095 enim statuit, quae ex parte sacerdotis assistentis *cum potestate assistendi* requirantur, ut habeatur valida assistentia. Actus autem sacerdotis assistentis ad normam c. 1098, n. 2 non est actus eiusdem generis iuridici; non est actus assistentiae *ut testis qualificatus* seu *vi potestatis habitae*. Haec assistentia non est requisita *ad validitatem*. Ex hisce omnibus, sed praesertim ex hoc ultimo, sequitur huic assistentiae non applicari ea, quae requiruntur in c. 1095 ut assistentia sit valida.

Sacerdos qui obligatur ad assistendum vi c. 1098 n. 2, praecepto iuris iam satisfacit assistens *mera praesentia seu passive* ut aiunt, quae assistentia sub iure tridentino erat sufficiens etiam pro assistentia ut testis qualificatus. Dico: praescripto iuris iam satisfacit. Utrum bene et laudabiliter agat, dependet ab adiunctis concretis. Aliunde tenetur sic assistere ut habeat certitudinem moralem matrimonium esse valide celebratum, cum vi c. 1103 debet curare ut matrimonium coram se celebratum adnotetur in libris seu regestis ecclesiasticis. Etiam ex natura rei pro sacerdote quaedam sequuntur, ut patebit ex statim dicendis.

6. De sacerdote vi c. 1098 assistente dicitur: « vocari debet et *una cum testibus* matrimonio assistere debet ». Qui est sensus exactus et vis iuridica verborum « una cum testibus? » Sensus obvius in contextu, et saltem praeprimis intentus, est: habetur obligatio (etsi non ad validitatem adimplenda) ut partes contrahentes et sacerdos vocatus [3] sic se gerant ut matrimonium non contrahatur coram solis testibus ideoque absque sacerdote si haberi possit. Finis huius praecepti nos non latet. Est multiplex. Praeceptum hoc statuitur: 1. ut habeatur praesentia activa viri qui est iuris matrimonialis peritus et qui proinde est capax rem dirigendi, ne matrimonium sit invalidum ob impedimentum secus non detectum vel ob defectum in ipso actu celebrationis; vir etiam qui in impedimentis forsitan detectis potest dispensare; 2. ut adsit sacerdos qui possit nupturientes debito modo praeparare ad recipiendum matrimonii Sacramentum, instructione, monitionibus et praecipue absolutione a peccatis; 3. ut matrimonium christianum ce-

[3] Neque obligatio assistendi neque qualitas « sacerdotis assistentis ad normam c. 1098 ». dependent ab ipsa vocatione facta a nupturientibus. Sensus est: partes curare debent ut sacerdos assistat ideoque eum vocare debent si haec vocatio necessaria sit aut utilis ut sacerdotis assistentia haberi possit. Quoties sacerdos iam praesens est et collaborans sponte sua, obligatio vocandi non habetur sed obligatio assistendi in eo adest.

lebrari possit conveniendi imo debita forma liturgica iure praescripta ad normam cc. 110-1111 a. v. ut celebratio fiat prout est, nempe actus religiosus; 4. ut tutius provideatur adnotationi ad normam c. 1103.

Verba canonis igitur certo habent hunc sensum quo illicitam reddunt celebrationem absque sacerdote, si ipse adesse possit (absque gravi incommodo, ut patet).

7. Nunc urget quaestio utrum verba canonis adhuc aliud requirant, notatim utrum verba « una cum testibus » ita sint premenda, ut exigant ut duo testes sint duae personae *materialiter distinctae* a sacerdote vocato et assistente. Sane, ex ipsis solis verbis hoc deduci potest. Ad litteram intellecta verba « assistere una cum (duobus) testibus significant se adiungere ad duos testes, ita ut habeantur tres personae assistentes. Sed premere verba vel rigorose ad litteram intelligere ea non est medium quo semper tuto pervenitur ad cognitionem sensus alicuius legis. Exempla abundant [4]. In ipso contextu intellecta, verba non certo habent hunc sensum. Mihi videtur quod sensus est: sacerdos stricta obligatione adesse debet (et vocari debet, ex parte nupturientium). Adesse debet, non solummodo antea ut matrimonium praeparet, sed etiam adesse tamquam celebrationi assistens (iuridice et liturgice). Et insuper, *una cum testibus;* i. e. quoties testes et sacerdos assistentes agant in hoc negotio, debent *simul* agere; eodem modo ac ipsi duo testes debent simul agere. Secus enim sacerdos nequit recte curare adnotationem celebrationis rite et valide factae (nam hoc comprehendit: coram duobus testibus), in libris, aliove modo testimonium reddere de celebratione rite peracta.

8. Sed verba non videntur positive requirere ut adsint *tres personae distinctae.* Etiam in casu quo sacerdos vocatus, utens sua potestate dispensandi a forma canonica servanda (extraordinaria)

---

[4] Prementes verbum « ratum » multi pervenerunt ad erroneam interpretationem affinitatis (c. 97) Vide L. Bender, Impedimentum affinitatis, in Ephem. Iur. Can. 1948; idem: Impedimentum affinitatis, in Periodica de re morali et iuridica, 1957: declarationem S. C. S. Off. die 16 Jan. 1957. A. A. S. 1957, p. 77.

Si premamus verbum « a delegante » in c. 207 § 1 superiores delegantis non possent revocare potestatem a suis subditis subdelegatam; si premamus verba interpretationis authenticae ad canonem 1015 § 4 « coram Ecclesia celebratum » filii eorum qui sunt excepti a lege de forma servanda (c 1099) numquam essent legitimi ob nativitatem e matrimonio putativo (L. Bender, Matrimonium putativum seu celebratum coram Ecclesia, in Monitor Eccl. 1957). Similes errores sequerenter si prementur verbum Ordinarius in c. 883, verbum legitimum in cc. 1075, 331 § 1 n. 1; verba « in tertio gradu » vel « in secundo gradu » prout leguntur in c. 1042 § 2, n. 1, et 2.

reapse dispensasset a praecepto contrahendi coram testibus, ipse nihilominus teneretur praescripto canonis 1098 n. 2. Ipse deberet vi huius canonis matrimonio assistere. Non posset se habere excusatum ab hoc praescripto ratiocinando: « canon 1098 me obligat ad assistendum *una cum testibus;* atqui: in casu non habentur testes; ergo ego non possum assistere una cum testibus; non possum adimplere legem. Et qui non potest adimplere legem ad nihil tenetur ». Id quod sacerdoti imponitur est *assistere matrimonio*. Deinde ei imponitur assistere *una cum testibus*, si testes adsint; et non loco testium. Assistere una cum testibus significat se adiungens tamquam vir simul peritus in negotio et minister sacer. Sic Legislator hac lege curat ut pro posse negotium celebrationis non fiat absque sacerdote (etsi non sit delegatus ad normam cc. 1094-1096). Sequitur ut canon 1098 ad validitatem matrimonii nullatenus exigat ut sacerdos sit persona *materialiter distincta* ab alterutro testium. Sub hoc aspectu canon celebrationem et assistentiam non regit; de hac re canon non loquitur neque circa hoc punctum aliquid statuere intendit. Una eademque persona potest agere partem sacerdotis assistentis ad liceitatem in qua qualitate ei incumbit praeparare matrimonium, vigilare ut omnia rite fiant et peragere functiones sacerdotales, et partem testis communis ut aiunt, requisiti ad validitatem. Et sicut duorum testium alteruter in defectu sacerdotis posset interrogare partes de consensu et consensum earum excipere, et matrimonium sic celebratum esset validum (cum *modus quo* consensus praebetur non sit determinatus nisi a natura rei), sic etiam sacerdos hoc facere potest. Nulla datur ratio hoc negandi de sacerdote. Quapropter in casu proposito Amandus et Paulus possunt esse testes ad validitatem requisiti, et tunc simul adimpletum est praescriptum c. 1098 n. 2 exigens praesentiam et assistentiam sacerdotis. Sic videtur haberi recta canonis 1098 interpretatio.

Sequitur matrimonium inter Palmirum et Linam celebratum coram Amando et Paulo esse licite et valide celebratum.

Confirmatio. Interpretatio canonis 1098 modo data hanc obtinet confirmationem. Si in casu Palmiri et Linae nullum adfuisset impedimentum, (i. e. si Palmirus non celebrasset aliud matrimonium) et Amandus statim percepisset impossibilitatem habendi alium testem nisi Henricum, sacerdotem in camera attigua expectantem finem confessionis ut possit Amandum adiuvare in administratione Extremae Unctionis et Viatici, Amandus potuisset Palmirum et Linam iniungere ut coram se et Henrico praestarent consensum matrimonialem, i. e. coram duobus testibus, dicens: praeter nos

duos non datur alius qui vocari potest tamquam sacerdos assistens; ergo hoc praeceptum non tenet; ad impossibile nemo tenetur. De validitate matrimonii sic celebrati nemo dubitabit. Res est ni fallor certissima [5]. Nulla videtur ratio admittendi hoc fieri non posse, si Amandus prius qualitatem induens sacerdotis assistentis ad normam c. 1098 dispensaverit ab impedimento criminis ceteraque peregerit et peracturus sit, quae sacerdos facere potest et solet in talibus circumstantiis.

Duo per modum corollarii notare nos iuvat:

1. In casibus qui reguntur cc. 1094-1096 et non c. 1098 sacerdos assistens debet esse persona materialiter distincta a duobus testibus. In his casibus enim ius requirit ad validitatem ut matrimonium celebretur coram tribus personis, scilicet coram parocho (etc) et duobus testibus. Sed in C. 1098 hoc non exigitur. Hic canon ad validam celebrationem exigit tantum ut celebratio fiat coram duabus personis tamquam testibus communibus. Iuxta hoc praecipit, sed non ad validitatem, ut sacerdos vocetur et adsit, modo determinato.

2. Ex hoc quod matrimonium celebratum in casu proposito sit validum et nemo egit contra canones etiam mere praecipientes, non sequitur sacerdotem recte agere si absque delectu sic procedit. Textus canonis manifestat quod sic procedere sine causa vere constringente est desiderio Legislatoris eiusque menti contrarium. Quoties absque gravi incommodo fieri possit, curandum est ut adhibeantur duo testes qui sunt personae etiam materialiter distinctae a persona sacerdotis assistentis [6].

Dr. L. Bender O. P.

---

[5] In tali casu enim forma praescripta est servata. In nullo canone enim prohibetur ne testes sint sacerdotes. Si aliquid factum sit contra canones, hoc non est nisi aliquid quod praecipitur ad solam liceitatem, non ad validitatem matrimonii.

[6] Quaerere possumus nonne melius fecisset Amandus dispensando Palmirum et Linam etiam a forma servanda, ad quam dispensationem concedendam certo gaudebat facultate (vide supra, n. 2), dispensando saltem ad cautelam. Verum est dispensationem ad cautelam concessam numquam nocere validitati matrimonii. Attamen dispensationes ad cautelam datae absque ratione sufficienti alio modo possunt esse nocivae. In casu quo dispensatur a forma servanda diminuitur possibililitas probandi in foro externo matrimonii celebrationem. Cum autem in casu nostro non datur dubium prudens de validitate matrimonii celebratum coram ipso Armando et Paulo, non datur ratio dispensandi a forma ad cautelam. Attamen hoc est verum re obiective considerata. Non omnes sacerdotes sunt canonistae et iuris ita periti ut possint huiusmodi dubia statim solvere si casus urget. Quapropter non est excludendum ut Amandus foverit dubium prudens et attendibile subiectivum. Et tunc dispensatio ad cautelam a forma servanda erat via tuta ad obtinendam celebrationem certo validam.

MOTUS « RIARMO MORALE » ET CATHOLICI

Ex variis mundi partibus quaestio defertur quid catholici de motu *Riarmo Morale* (Moral Rearmament = MRA vel RAM) sentire debeant. Ultimam occasionem dubitationi dederunt visitationes a repraesentantibus ipsius ad aliqua Collegia Ecclesiastica in Urbe factae in quibus — una cum concentu musicali — theoriam et principia motus iuvenibus sacerdotibus et seminaristis exposuerunt.

Nec desunt rationes collaterales ad hanc materiam paulo impensius tractandam. Propugnatores huius motus — qui methodos modernae propagandae optime callent — pervastam suarum idearum diffusionem per pubblicationes periodicas, per « folia fotographica » et libros in plurimis linguis exaratos, necnon et per repraesentationes theatrales, in omnibus mundi plagis effecerunt. Non pauci catholici — nec minoris nominis in politica internationali — aliis tamen fortiter obsistentibus — auxilium et protectionem motui dederunt. Hierarchia ecclesiastica plurium nationum concretas pro suis fidelibus normas edidit. Tandem, Sanctum Officium sui muneris in nostra materia intervenire, esse iudicavit.

Ante omnia, scopus hodiernae elucubrationis clare enuntietur oportet. Non quaeritur utrum haec organizatio, sub aspectu politico considerata, ad fraternitatem universalem mere naturalem fovendam conferat necne. Praescindimus etiam ab his aliis considerationibus: quosque nempe *Riarmo Morale* ad distantias sociales inter patronos et operarios minuendas; vel ad unionem *racialem* inter gentes diversarum stirpium fovendam; vel ad asseclas communismi ex suo ambienti marxista ad atmospheram alicuius religiositatis inducendos inserviat[1]. Nec interest nostra — saltem directe — cognoscere si hic motus quendam Christianitatis spiritum prae se ferat, ita ut a pluribus protestantibus (factionis sic dictae *liberalioris*) tamquam utilis habeatur.

Nostra quaestio multo magis restricta apparet. Estne motus *Riarmo Morale* aliqua organizatio religiosa heterodoxa vel ad heterodoxiam inducens (num vocetur *ecclesia* vel *religio nova* rem non mutat) quae, consequenter, catholicis periculosa redditur et in qua, iuxta mentem Ecclesiae, nobis participare non licet. An potius agi-

[1] De istis aspectibus oeconomicis, socialibus et politicis bene agit P. Edward Duff, S. J. in suo articulo: *Verdict on MRA (A magic solution for all the world's ills)* in ephemeride *Social Order*, Saint Louis, Missouri, Iunio, 1959, pp. 274-283.

tur de aliqua, « tendentia ideologica » quae, cum plura ex religione naturali et christiana desumat, et aliunde, cum nullis principiis nostrae dogmatis vel iurium Ecclesiae in conflictum veniat, a nobis — propter alia bona ordinis humani et quidem universalioris — acceptari possit.

Ad solutionem praesentis problematis, evolutionem historicam huius motus in suis diversis stadiis examini subiiciemus. Principia theologica in quibus fundatur et a quibus in praxi regitur, cum principiis theologiae catholicae comparabimus — addendo quid plures theologi protestantes circa eandem materiam sentiant. Tandem, colloquium instituemus cum illis qui diverse a nobis opinantur et quidem sub lumine illarum normarum quae ex auctoritate ecclesiastica, data occasione, emanaverunt.

Motus « Revival » in Protestantismo

In historia protestantismi moderni, motus *Riarmo Morale* non est quid insolitum. Coniungitur cum illis phaenomenis sic dictis *revival* (réveil, resveglio) quae periodice internam vitam diversarum ecclesiarum transformaverunt. Maxime a temporibus Wesley et a fundatione methodismi talia facta, tum in Anglia, tum praecipue in Statibus Foederatis Americae frequentissime locum habuerunt. Ut bene advertit historicus A. Drummond: « *Revivalism has been the dominant pattern of American Protestantism since the middle of the eighteenth century* » [2].

Generatim loquendo, processus talis *revival* sic locum habere solet. Transacta prima periodo magni fervoris alicuius sectae (vel ecclesiae), advenit phasis alia stagnationis, cui tandem sequitur vera in fervore decadentia. Durante hac ultima periodo, surgit in communitate praepotens aliquod membrum quod (saepius ut consequentia sincerae conversionis a vita tepida aut agnostica) subito « sentit » se esse a Deo vocatum ad regenerationem ecclesiae ad quam pertinet efficiendam. Tunc per suam ardentem praedicationem, illud « evangelium » cum aliis communicare incipit, unde tot aliae conversiones sequentur. Sumus in plena actuatione alicuius motus *revivalistici*.

Si rem propius inspiciamus, in omni huiusmodi phaenomeno, haec vel similia elementa inveniuntur: 1) sensus profundus pec-

---

[2] A. Drummond, *History of Protestantism in America*, New York, 1949, p. 323. - Optima de hac recontinentur apud R. Knox, *Enthusiasm, A Chapter in the history of religion*, Oxford, 1950.

cati cum confessione, saepius publica, et cum signis patheticis commitata; 2) explosio aliqua gaudii propter « liberationem » adeptam, simul cum clamoribus et saltationibus, vel cum suavi risu; 3) insistentia in idea regenerationis internae et redditus ad « Christianismum primitivum » — cuius tamen interpretatio nutui initiatoris saepius relinquitur; 4) zelus neo-conversorum suas experientias cum aliis communicandi; 5) tandem spes firma per talem « mutationem » (« conversion », « change ») mundi mala — quae tam arcte cum modo agendi individuorum connectuntur — citius vel lentius prorsus esse disparitura [3].

Modalitates expressionum externarum horum motuum pendent a natura ecclesiae in qua ortum habent vel a charactere individui qui eos promovet. In methodismo primitivo, emotiones intensissimae illud conversionis factum (quo « certissime sentio Deum in hoc momento, per meam in Christo fidem fiducialem, peccata mea delevisse ») comitari debebant. Hodie talis technica apud sectas pentecostales — quae praeterea credunt cum suo « secundo baptismate » accipere donum linguarum, prophetiae, curationum, etc. — frequenter adhiberi solet. In aliis organizationibus protestantismi, *revival* in quo insistitur est potius ordinis socialis, vel si individuum attingitur, hoc fit per recursum ad quendam emotionalismum vago modo religiosum et in quo fere praescinditur a veritatibus dogmaticis credendis vel a sacramentis accipiendis. Casus typicus primi generis fuerunt praedicationes Dwight L. Moody vel etiam modus agendi organizationis pro iuvenibus: *Young Men's Christian Association*, et secundi labor *Exercitius Salutis — Salvation Army* [4].

Datur tamen alia modificatio satis recens cui nomen: *The Keswick Method*, in Anglia, frequenter a methodistis et a membris *Inferioris Ecclesiae* anglicanae (Low Church) adhibita. Ad modum nostrarum recollectionum spiritualium, membra sua ad

---

[3] Cfr. W. Burns, *Revivals, their laws and leaders*, London, 1909, pp. 2 ss.

[4] Plura opera utilia circa praesentem materiam commendari possent. De fundatore methodismi optime tractat M. Piette, *La reaction de John Wesley dans l'Evolution du Protestantisme*, Bruxelles, 1927, pp. 495-6. Pro sectis pentecostalibus et escathologicis, tractatus classicus evadit Elmer T. Clark, *The Small Sects in America*, New York, 1949. Circa motum iuvenum cui nomen *Young Men's Christian Association*, existit, inter alia, opus N. Flemming, *International Survey of the YMCA*, New York, 1932, vel recentius liber S. de Deitrigh, *Cinquante ans d'histoire*, Paris, 1948. Methodi praedicationis a Moody adhibitae describuntur a G. Bradford, *D. L. Moody : A Worker in Souls*, New York, 1927, vel apud K. S. Latourette, *The History of the Expansion of Christianity*, New York, 1941 vol. IV.

solitudinem ducit ut ibi, sub ductu specialium magistrorum, *renovationem* suam experiantur. Finis adunationis est « victoria a peccato ». Ad hoc obtinendum assistens sciat: « nos, per nostrum expectativum silentium uniri Deo, et per nostram separationem ab aliis et a nobismetipsis, plene quiescere in Ipso ». Ad « abundantiorem vitam » quae ibi prommititur obtinendam, homo haec efficiat oportet: 1) confiteri sua peccata et deffectus; 2) agnoscere Christum per fidem; 3) diffidere suis propriis cogitationibus; 4) *testificare* — id est, aliis communicare quod Dominus cum eo fecit [5].

Permultis initiatoribus horum motuum commune est negare prorsus se novam ecclesiam vel societatem religiosam condere velle. Ioannes Wesley efferebat suam voluntatem in anglicanismo vivendi et moriendi. Simile quid refertur in vita William Booth, fundatoris *Exercitius Salutis*. Dirigentes organizationum iuvenum (YMCA at YWCA) et similium tenent illos neque ecclesiam, neque sectam, neque societatem religiosam constituere. Sectae vero pentecostales credunt earum discessum ab « ecclesia matrici » non fuisse verum schisma, sed potius redditum ad « primitivum Christianismum ».

Genesis historica motus « Riarmo Morale »

His praemissis quae, ut lectori ex sequentibus patebit, non sunt extra rem dicta, ad vitam et ad activitates fundatoris *Riarmo Morale* veniamus. Frank N. D. Buchman natus est in civitate Pennsburg, in statu Pennsylvaniae, U. S. A. anno 1878 ex parentibus religionis lutheranae. Studiis theologicis in Allentown et Philadelphia peractis, incepit suos labores ut pastor ordinatus anno 1902. Ratione dissensionum cum suis collaboratoribus, iuvenis noster anno 1908 in Angliam translatus est ubi apud Keswick, technicam conversionum non solum empirice observare, sed etiam experimentaliter sentire incepit. Etenim, ut ipse refert, una die in pago regionis Cumberland, dum spontaneum sermonem alicuius simplicis feminae « pentecostalis », loquentis de opere Christi in cruce audiret, ita conmotus est ut conscientiae suae remorsus et veram conversionem experiretur. Notavit quoque illos sensus superbiae et ambitionis erga alios, verum obstaculum ad eius ministeria spiritualia exercenda constituere. Tunc, ad Christi crucem reversus,

---

[5] Haec organizatio in lucem edit narrationem annuam cui titulus: *The Keswish Week*, London. Characteristicae a nobis citatae inveniuntur in volumine anni 1924, p. 8. Simile centrum in Statibus Foederatis Americae constitutum fuit, ut nobis narratur in libello: *The Story of Keswick: Watching God Work Miracles in the Pines of New Jersey.*

dixit: « Domine, ad Te venio ut salvum me facias ». Et statim sensus tristitiae et desperationis ab eo aufugerunt. Quin immo, litteras humilitate conspicuas, suis collaboratoribus in America scripsit. Pax, hoc modo obtenta, felicissimum eum reddidit. Tunc duas resolutiones secum adoptavit. Una ordinis intellectualis: « Peccata nostra contra Deum, sunt etiam peccata contra proximos » (« Our sins against God, are also sins against our fellow-men »). Altera ordinis practici, nam ut ipse fatetur: « domum rediens, urgentem sensum experientiam meam cum aliis communicandi, sensii » [6].

In patriam reversus, relationes iniit cum Ioanne R. Mott, qui tunc temporis inter praecipuos dirigentes laicos protestantismi americani, director motus YMCA, et fundator organizationis cui nomen: *The Student Christian Volunteer Movement*, habebatur. Interdum cum iuvenibus universitatis Pennsylvaniae laboravit, principia suae methodi cum ipsis experiendo. De fructu obtento, versiones pendent a fonte informationis. Aliqui loquuntur de « mutatione climatis spiritualis et moralis » in illo centro, dum alii innuunt methodum ab ipso adhibitam — maxime relate ad sic dictas « confessiones » — mentalitatem sexualiter morbosam inter alumnos fovisse [7].

Contactus cum I. Mott plura illum docuit, alia imitatione digna, alia pauciora vitanda. Illa organizatio iuvenum missionariorum — cuius membra in dissitas mundi partes sese extenderant — probabat iuventutem contemporaneam magna idealia christiana amplecti posse dummodo illa cum certis cautelis et, sub certa perspectiva, ut dicitur, proponerentur. Cautelae adhibendae erant potius ordinis dogmatici. Nempe *libertas sufficiens* ipsis concedi debebat in illis amplectendis et reiiciendis quae « cum modernis scientiis » coincidere non posse videbantur. Inter quae: nativitas virginalis Christi, realistas inferni, resurrectio Salvatoris et nostra, etc. Praeterea, programma a iuvenibus amplectendum quadam universalitate et grandiositate gaudere debebat. Verbi gratia, I. Mott suis studentibus huiusmodi idearium (« slogan ») proposuerat: *conversionem totius mundi orientalis ad Christum in termino unius generationis obtinere*. Magister etiam ei monstravit artem perso-

---

[6] Haec mutatio describitur a fere omnibus biographis Domini Buchman. Cfr. in volumine cui titulus: *The Oxford Group*, Oxford, 1934, articulum a Rev. G. F. Allen exaratum: *The Groups in Oxford*, pp. 9-10; vel in libello: *The Oxford Group and its Work of Moral Rearmement*, London, 1954, pp. 2-3.

[7] In favorem conversionum obtentarum loquitur v. gr. G. Allen, op. cit. p. 11. - In sensu sat diverso scribit G. Williamson, *Inside Buchmanism*, London, 1954, p. 198 et 199.

nalem (a se optime excultam) animos divitum et praepotentium huius mundi sibi adipiscendi, ita ut ipsi nunquam deesset sufficiens pecunia ad itinera patranda, ad congressus celebrandos et ad opera multa ineunda quae pluribus contemporaneis simpliciter miraculosa videbantur. Ab illo, tandem, didicit modum negotia omnia religiosa sub aspectu oecumenico et mundiali respiciendi [8].

Inter annos 1916-1921, dum in Seminario Hartford doceret, Buchmann duo itinera ad nationes Extremi-Orientis complevit. Nova experientia mundi non-christiani (vel iuvenum communitatum protestanticarum) in India, Sinis, Iaponia et Corea, multum eius cognitionem humanam auxit. In Sinis primas collocutiones domesticas (*house parties*) inauguravit; naturam profunde religiosam et practicam populorum orientalium cognovit; possibilitatem suas experientias ad gentes non-christianas extendendi et consequenter actionem multo magis amplam obtinendi, conspexit. Orientales — et praecipue Sinenses — abundant pulcherrimis formulis propriae accusationis quae, quanvis de facto parum significent, auribus occidentalium valde aptas ad contritionem exprimendam sonant. Contactus cum confucianismo probabiliter ei utilis fuit: illa religio *moralizatrix* et modus conquirendi amicos per personalem conversationem a Magistro Sinarum adhibita, coincidebant cum illa quam Buchman in suis familiaribus colloquiis usurpabat [9].

Consilium obsequens duorum episcoporum anglicanorum qui in Sinis laborabant, Buchman suas methodos in universitatibus Canturiensi et Oxoniensi (Oxford et Cambridge) applicare statuit. Ex una parte, ut consequentia primi belli europaei, vigebat apud iuvenes harum institutionum religiosa quaedam anxietas; ex altera vero ibidem omni varietati religionum (undequaque procederent) porta aperiebatur. Videtur illos conatus in pluribus conversionibus studentium sese resolvisse. Tunc temporis nomen « christianorum primorum saeculorum » (First Century Christians) organizationi datum est. Ad quenvis possibilem conflictum vitandum, publice declaratum est illum coetum nolle eformare ullam « organizationem

---

[8] De opere et de theologia Ioannis Mott, cfr. Basil Mathews, John Mott, World Citizen, London, 1934; et recentius J. Mackay in *International Review of Missions*, 1955, pp. 331-8.

[9] Tamen, motus a Buchman initiatus, non nisi post aliquot annos in Sinis florere incepit. Cfr. F. R. Millican: *The Oxford Group Movement in China* (in volumine *The China Christian Year Book*, 1936-7, pp. 91, ss). De influxu in universitatibus Yale, Princeton et Harvard, scribit Duff in art. laudato, p. 279.

ecclesiasticam ». Ipsa ecclesia anglicana quae, in aliis occasionibus, consequentias immediati interventus in huiusmodi conflictibus experta fuerat, sese abstinere a iudicio ferendo maluit. Labor, exceptis casibus exceptionalibus, ad solos studentes protestanticos restringebatur [10].

Ab anno 1927, organizatio magis magisque sese expandit. Itinera ad nationes exteras instituta sunt, inter quae duo ad Africam meridionalem. Iterum de nomine mutando actum est et cognomen *Coetus Oxoniensis* (The Oxford Group) adeptum est cum evidenti displicentia multorum qui talem appellationem cum motu religioso fundamentaliter ab isto diverso identificabant. Parvi coetus studentium per diversas partes civitatum sese spargebant; in domibus privatis coadunationes (house parties) convocabant ut ibi de materiis religiosis, socialibus vel politicis discuteretur. Plures dignatarii ecclesiae anglicanae (inter quos ipse archiepiscopus Cantuariensis) eos favore prosequebantur, putantes tales activitates efficienter contribuere ad conversiones personales et consequenter ad fortificationem ipsius Anglicanismi.

Iisdem annis plures excursiones ad nationes exteras (Germaniam, Hollandiam, Americam Septentrionalem et ad nationes scandinavas) effectae sunt. Invitationes fiebant aliquando ab auctoritatibus ecclesiasticis, saepius autem ab hominibus politicis qui programma ab hoc motu propositum plurimum sibi favere sentiebant. Ex pluribus testimoniis in illis occasionibus a viris ecclesiasticis datis, apparet clare eos motum ut typice protestanticum consideravisse. Insistebant etiam in facto (pro ipsis magni momenti) hunc motum non colluctare cum ulla determinata *denominatione* (factione vel secta) sed omnes illas per renovationem individuorum favere. Aliis verbis, apparebat ut quid simile *sermonibus evangelisticis*, nostris temporibus a Rev. Billy Graham praedicatis... Ipsum Parlamentum brittanicum illos invitare voluit ut coram suas theorias exponerent. Quod genus honoris, adeo insolitum, famam eorum in longinquas terras propagavit [11].

Undenam motus talem attractionem in contemporaneos habuerit, saepe quaesitum est. — Absque dubio, inde ab anno 1934, ille

---

[10] Plura de hac periodo invenientur in articulo citato G. F. Allen, pp. 12-20. Non pauci ex notissimis discipulis motus (Thornhill, Beggie, Howard, Campbell, Crossman, Grensted, etc) his annis nomen organizationi dederunt.

[11] Est etiam tempus in quo primi contactus - ut ita dicam *officiales* - cum ducibus politicis plurium nationum instituit. Concipit suum motum ut aliquid maioris momenti quam ipsa *Societas Nationum:* « something more important than most things on the Agenda of the League of Nations ».

pacifismus in toto systemate occultus, non parvam illusionem exercuit apud homines qui, testes et victimae in primo bello europeo, nunc, praeeunte nazismo, secundum iam iam appropinquare sentiebant. Ex sua parte Buchman possibilitatem conversionis Hitler et Mussolini per applicationem suorum principiorum omnino possibilem esse credebat. Existebat etiam apud multos — in contrapositione ad exacerbatum nationalismum aliquorum populorum — ingens desiderium fraternitatem inter populos geographice et etnice dissitos, procurandi. Potentiae coloniales talem scopum ut efficacissimum ad frictiones politicas cum subiectis populis vitandas, magni aestimabant. Nec deerat apud multos fastidium mundi et necessitas alicuius consolationis religiosae. His omnibus motus buchmanianus remedia efficacia — et quidem formulis modernissimis expressa — possidere dicebat: « Supernationalismus a Deo *controllatus* est unica fundatio ad pacem mundialem ». « Deus loquitur ad illos omnes qui eius vocem obsecundare volunt ». « Nos credimus hominem ordinarium res vere extraordinarias obtinere posse dunmodo ipse Deum exaudiat », etc. [12].

Modificationes a motu adoptatae

Istae tendentiae, tunc vix efflorentes, cito structurationem solidiorem acceperunt. Anno 1938 motus novo nomine — illo nempe quo hucusque viget (*Riarmo Morale*) insignitus est et nova formula penetrationis suis asseclas data: « *Possumus*, *debemus*, *parati sumus ad novam vim moralem et spiritualem in mundo creandam* ». Praeterea, cum dictatores europaei non converterentur, sed bellum nimis appropinquaret, Buchman putavit se in Statibus Foederatis Americae maiori cum tranquillitate laborare posse. De facto, durante secundo bello mundiali, in sua patria strenue suis ideis defendendis incubuit. Amicitia et adiutorio magnorum hominum politicorum protectus (Truman, Firestone, Ford, La Guardia, etc.) Scholam ad Defendendam Moralitatem (*Home Defense School for Morals*) instituit cum novo « motto » actionis: *New men*, *new Nations*, *and a New World*.

Haec periodus (1939-1945) intensae elucubrationi locum dedisse videtur. Nam, statim post bellum, novae activitates, abundantiora

---

[12] Externis saltem verbis, plures homines politici contemporanei talem pacifismum fovere videbantur. In hoc sensu citantur Roosevelt, et primi ministri ex nationibus scandinavis, ex Hollandia, Sinis, etc. Contiones a D. Buchman pronuntiatae sensum propheticum induere diceres in praesentia citationum ex Isaia et Ieremia desumptarum.

media propagationis, nova strategia apparent. Vel, ut aliis verbis exprimatur, novum stadium in vita motus *Riarmo Morale* incipit.

Creantur imprimis duo centra quae ut sedes generales (General Headquarters) totius motus operentur: unum in Statibus Foederatis Americae (Mackinac Island, Michigan) et aliud in montibus Helvetiae (Caux). Utrumque synchronice procedit sub duce supremo (Buchman) et officialibus inferioribus. In suis modernis aedificiis novissima technica conversionum applicatur. Nihil ibi desideratur quod in hodiernis motibus politicis necessarium existimatur ad suas ideas promovendas: folia, litterae et publicationes periodicae ad totum mundum mittuntur; adsunt consiliarii, specialistae in directione animarum, libri de istis materiis agentes et homines antea ad « causam » adepti qui suas experientias aliis exponant.

Quanvis adhuc dirigentes ad nationes exteras mittantur, tendentia praevalet possibiles candidatos ad duo praedicta centra vocandi ut in illa peculiari atmosphera, methodi convictionis ab eis adhibiti meliorem fructum in assistentibus obtineant. Adunationes non sunt neque stricte individuales (ut in *house parties*) neque ad massam popularem directi (*open meetings*) sed aliquid intermedium. Selectio nempe mittendorum ad Caux vel Mackinac severa est, et in ea praefertur praesentia hominum in unaquaque classi sociali repraesentativorum. In centris ipsis, influxus erga assistentes erit partim communitarius, eo sensu quod vita communis, contactus mutuus et adunationes omnium (v. gr. ad repraesentationes theatrales) suam actionem in eos exercebunt, partim vero personalis in quantum unicuique assignabuntur « amici », « consiliarii », etc. qui cum ipso saepius in die verba faciant et de nova *methodo ideologica* amplectenda ipsum instruant [13].

Motus ipse characterem multo universaliorem tum geographice, tum religiose, obtinet. Nam, simul cum protestantibus, qui hucusque maximam membrorum partem constituebant, speciali cura invitantur mahumetani, hinduistae, buddistae et homines totius generis ex nationibus sic dictis paganis procedentes. Bene animadversum est propugnatores huius motus peculiari intentu prosequi conspicuos homines ex « novis » nationibus (nempe quae modo independentiam politicam obtinuerunt) Asiae orientalis et Africae oriundos. Numerus etiam eorum qui in Occidente nullam prorsus

---

[13] Accuratam descriptionem commorationis helvetiace et methodi ibi adhibitae habes apud Mgr. J. L. Suenens, *Que faut-il penser du Re-Armement Moral?* - Bruxelles, 1952, pp. 48 ss.

religionem profitentur (socialistae, indifferentes, etc.) inter frequentatores Caux augetur.

Similis praeocupatio apparet in participatione catholicorum obtinenda eorumque approbatione fovenda. (Tendentia prorsus nova est siquidem in periodis anterioribus, catholici — exceptis casibus individualibus — fere absentes videbantur). Invitatio dirigitur tum ad laicos sic dictos « responsabiles » in diversis spheris vitae socialis et politicae, tum maxime ad sacerdotes et religiosos — ex quibus non pauci ad appellationem responderunt [14]. Haec approximatio prudenter at simul magna cum constantia inducitur. In publicationibus periodicis a *Riarmo Morale* editis, nullus contra Ecclesiam Catholicam sermo pronuntiabitur — quin immo, aliquoties « photographia » Summi Pontificis cum parvis citationibus ex contextu avulsis, apparebit. Apud Caux, ubi conventus catholicorum multo maior et frequentior erit quam in Mackinac Island, capella catholica erigetur ut ad illam assistentes (sive practici sive neoconversi) adire possint. Inter dirigentes motus inveniuntur aliqui catholici, eorumque praesentia tum in adunationibus tum in ephemeridibus singulari cura effertur. Pauci ex istis ad exteras nationes mittentur eo fine ut Hierarchiae orthodoxiam motus exponant. Ipse Buchman, durantibus suis romanis itineribus, illos homines visitabit qui, per suam benevolentiam vel influxum, sibi favere posse expectat [15].

Praesentia hominum ad tot religiones pertinentium variationem in programmate religioso necessario inducit. Per sua quattuor principia absoluta (de quibus postea) omnibus assistentibus simul applicata, magnae religiones mundi aliquo modo *democratizantur*. Christianismus — in praxi quanvis non in verbis — illam superioritatem absolutam quae ipsi ex natura sua et ex voluntate Christi competit, miserabili modo amittit. E contra, Hinduismus, Mahumetismus et Shintoismus obtinent universalitatem et paritatem quandam cum Christianismo quae in saeculis transactis a nullo Christiano ipsis concedebatur. In oculis assistentium, si idealia motus verificantur, Christianismus erit *unus inter pares*, id est, unum ex magnis systematibus religiosis mundi in quibus homines

---

[14] Ex indiciis huc illucque collectis videtur « plura centena » sacerdotum catholicorum his adunationibus praesentes fuisse. Haec freqaentatio solummodo usque ad annum 1951 sese extendisse dicendum erit, siquidem ab hoc tempore Sanctum Officium sibi reservat ius permittendi talem assistentiam.

[15] Nomina aliquorum qui ad Status Foederatos Americae missi sunt a P. Duff in art. laudato enumerantur. Nec defuerunt personae ad ipsam Sanctam Sedem cum hoc munere *informativo* missae.

salutem personalem — quaecumque illa sit — et maxime transformationem mundi efficere debent. Et hoc orientalibus non christianis displicere non potest.

Methodus ascetica apud Caux adhibita

Praecipua instructio — saltem modo diuturniori facta — doctrinarum motus in adunationibus apud Caux et Mackinac habitis impertitur. Cursus habentur praecipue in mensibus aestivis et per aliquot dies aut paucas hebdomadas durant. Pecunia pro sumptibus tradenda voluntati uniuscuiusque relinquitur, vel nulla solvitur, siquidem dirigentes organizationis (in contrapositione ad penuriam materialem in qua alia plurima Dei opera laborant) potentes patronos in bene multis mundi partibus habere videntur [16].

Assistentibus ad tales conventiones proponitur « idearium » vitae ab omnibus amplectendum. Praesumitur factum aliquod universale — et, pro dolor! faciliter admissibile — nempe lamentabilis hodierni mundi status in quo bella, calamitates et mala moralia sine fine genus humanum affligunt. De origine, dicamus dogmatico-historica remota horum malorum, aliis verbis, de peccato originali eiusque sequelis, sermo non est. Omnes ecclesiae protestantes corruptionem humanae naturae admittunt quanvis in explicatione radicis dissentiant. In pluribus populis Orientis notio aliqua — quantunvis vaga et mythologica — corruptionis humanae existit — et hoc sufficere videtur ad propositum buchmanismi [17].

Postea, tanquam principium necessarium omne opus reformativum praecedens, hoc aliud axioma stabilitur: mundi reformationem a personali reformatione incipere oportere. De se hoc dictum, tam generice prolatum, et a philosophis vel politicis antiquis sine exceptione admissum, parum novitatis contineret nisi alia adiungerentur quae eius vim probativam invigorarent. Sed haec non desunt in *Riarmo Morale*.

De possibilitate alicuius revolutionis moralis totum mundum transformantis — et quidem ope principiorum a se inventorum — Buchman accentu fere mystico loquitur. « Novus mundus a nobis

---

[16] Cfr. A. Van Cutsen, S. J. *Une Experience de Pastorale Protestante, Nouvelle Revue Theologique,* 1948, pp. 645-646.

[17] De opinione personali D. Buchman in hac materia, non multum a nobis cognoscitur. Etiam in epocha in qua fere unice cum protestantibus agebat (1912-1938) factum peccati originalis a suis contionibus absens videtur. In hoc sensu, magna apparet differentia inter eum et alium praedicatorem valde notum, Billy Graham.

exoptatus tunc solum veniet quando nos obedienter cum Deo in opere *Riarmo morale* cooperemur ». « Hoc miraculum (mundum transformandi) est absque dubio finis divinitus nostrae humanitati assignatus ». « Sequendo dictamina ab ipso praescripta, « homines politici in pace et harmonia vivent; parlamenta a Deo inspirabuntur et gubernia sub ditione divina procedent ». Similiter, homines diplomatici (a quorum opera victoriae vel clades nostrorum temporum adeo pendent) si hoc spiritu imbuti laborent, vera miracula in suo munere exercendo obtinebunt. « Cum hac unitate nostra, a Deo protecta, omnia, etiam minima, problemata mundi, solutionem habebunt. Labor aderit pro omnibus; cibus et potus sufficiens nemini hominum deerit; spiritus ipsi ideologiam acquirent quae plene eorum desideria satisfaciant ». « Mihi praebeatis, quaeso, homines a Deo directos; (God-guided personalities); isti vicissim nationes efformabunt a Deo directas et sic mundum novum construemus » [18].

In hoc praecelso opere — mundum renovandi — unicuique membro organizationis munus magni momenti assignatur. « Omnes sentient se esse partem essentialem in mundi reconstitutione ». Constituunt factionem selectam cui competit mundum recreare (vocantur de facto: « the creative minority of history ») et « novam dimensionem » eventibus contemporaneis tribuere. Efformant « exercitum a Deo directum et a Deo illuminatum ». « Per ipsos Deus mundum gubernare intendit ». « Unusquisque eorum mandata a Deo directe accipit et in praxim deducit ». « Nemo poterit potentiae et vigori huius minoritatis a Deo directae resistere ». Ne expectemus — ut saepius in tempore transacto accidit — apparitionem alicuius praeminentis ducis individualis. « Hoc opus non debet compleri sub ductu alicuius personae particularis, sed mediantibus coetibus hominum (groups of people) qui didicerunt iunctis viribus sub directione divina laborare... Nam singuli ex nobis extraordinaria opera perficere possunt dummodo maneamus in contactu cum Deo » [19].

---

[18] Haec et aliae expresiones similes colliguntur a R. C. Mowat in suo libro: *The Message of Frank Buchman, A Study of Re-making the World.* London, 1953.

[19] Buchman, Re-Making the World, London, 1955, pp. 39 et 184. - Et tamen in hoc opere, hypothetice a pluribus peragendo, adest caput visibile cui totum schema inspiratum est et a quo organizatio dirigetur: « Dr. Buchman's basic convinction about his life work is that it is Spirit-led. In every generation, through chosen instruments, the Spirit of God has broken through old forms and conceptions to bring new life to Church and nation. One of the tragedies of history is that these new outbursts of the Spirit have so often been opposed and hindered not only by

Cum motus saepissime ad dirigentes mundi politici, industrialis et socialis dirigatur, haec nova « vocatio universalis » ipsis attributa haud parvum ad eorum adhaesionem evincendam contribuit. Omnibus enim sentire placet se ad organizationem aliquam providentialem pertinere ex qua prosperitas totius generis humani dependet. A fortiori si ipsis promittatur, per applicationem novorum principiorum, solutionem inventura esse illa problemata magis inmediata quae sive colonialismum, sive quaestionem *racialem*, sive conflictus inter patronos et operarios respiciunt. Unica difficultas procederet ex durissimis sacrificiis requisitis — sive ordinis externi (poenitentiae, renuntiatio omnibus quae possidentur), sive interni (subiectio totalis mentis et cordis ad consilia evangelica) — ab individuis qui suum nomen huic organizationi dare intendunt. Sed, in nostro casu, media adoptanda talia sunt quae a plerisque hominum bonae voluntatis — saltem si applicatio interpretationi personali relinquatur — possibilia videantur. In praxi aliqua sacrificia ab eis exigentur, sed ipsa faciliter a satisfactione directe contribuendi ad mundum renovandum, compensabuntur [20].

Processus a « conversione » personali (quae nunc nomen « mutationis » — « change » — obtinet) incipiat oportet. Vicissim, ut haec locum habere possit, requiritur ut homo vocem Dei audiat. Directio divina (« guidance ») nobis semper praesto adest. Ipsius actio comparatur instrumento *televisionis* quod sua perceptione totum campum physicum dominatur. « Sic directio divina totum campum spiritualem complectitur. Solummodo limitatur a nostra capacitate mandatis Eius obsequendi ». Haec perceptio divinae directionis fiet *temporibus quietis* vel silentii (« quiet times ») nam ex principio apodictico a Buchman stabilito: quoties homo exaudit, Deus ad eum loquitur. « Spiritus Sanctus est optimus informationis fons pro mundo moderno. Ipse habet responsa praeparata pro omnibus nostris problematibus. Quandocumque nos contactum cum Eo instituimus, Ipse nos docet quo modo agere debeamus... Directio divina debet esse experientia normalis omnium. Facillimum est Ipsius nuntia recipere si nos ad illud praeparamus. Tunc informa-

---

evil men who hated God, but by good men who could not put the needs of their generation before their preconceived ideas as to how the Spirit of God ought to work » (A. R. C. Thornhill in libro: *The Oxford Group and Its Work of Moral Re-Armement*, p. 42).

[20] Insisto in hac profunda differentia cum vera religione christiana, quia illa apparens severitas a sociis requisita, plurima alia omittit quae, de facto, difficiliora sunt, tam ex parte nostri intellectus quam voluntatis.

tio adaequata, definita, accurata a Deo ad nos usque descendet [20 bis]. Certitudo huius divinae locutionis — ad nostram dispositionem positae — talis est ut homo, penna et charta instructus, eam statim transcribere possit.

Uno vel alio momento durante sua permanentia apud Caux vel Mackinac, homo talem « vocem » divinam audiet et per eam de suis transgressionibus certior fiet. Reactio « spontanea » (ad quam debito modo a suis consiliariis praeparabitur) erit agnitio status tristissimi animae suae et exclamatio: « doleo de meis commissis quia per ea ad statum peiorem generis humani contribui ». Hoc stadium vocatur: « traditionis sui ipsius ad Deum » (« surrender to God »). Tamen, tale propositum non sufficit. Eo fine ut pondus peccatorum a se eiiciat, oportet ut illa cum aliis communicet. Pridem exigebatur ut candidatus ad conversionem, peccata sua (quanvis foeda et lubrica) ad suos socios minutissime referret. Nunc, prima « privata confessio » ad suum consiliarium (qui unus ex dirigentibus *motus* erit, sive catholicus, sive protestanticus sive paganus) facienda est. Postea veniet « confessio publica » coram omnibus assistentibus peracta, sine insistentia in particularibus aut potius secundum formulas communes doloris in antecessum praeparatas. Hoc modo noster homo — qui de experientiis similibus ab aliis habitis convenienter fuit instructus — « sentiet » se esse a peccato liberum nihilque ei mali evenire posse [21].

Peracta « conversione », muneris sui erit ad renovationem totius mundi consequendam strenue laborare. Ad talem finem, normis credendi et agendi necessariis instrui debet. De primis Buchman qui « semper dogmaticas doctrinas parvipendit ut inutiles et discussionibus obnoxias », non multum curat. Quin immo, post admissionem intra suam organizationem tot hominum ad religiones non christianas pertinentium, insistentia in veritatibus evangelicis quae fidem supernaturalem exigunt, fere impossibilis redditur. Ideo positionem plane pragmaticam adhibet cum dicit: « Curam habe de praxi et theoria a seipsa sequetur » (« Look for the practice and the theory will look for itself »). Normae, proinde, quae discipulis praescribuntur, ordinem practicum — seu modum agendi

---

[20 bis] Textus citatus ab A. W. Eisler, *Drawing-Room Conversation: A Sociological Account of the Oxford Group Movement*, Durham, 1950, p. 42.

[21] Cfr. in opere iam citato: *Oxford and the Groups*, articulum *Groups Unity and the Sense of Sin*, pp. 117-135. Hodie *peccatum* sensum valde dilutum habet (ut etiam non-christianis applicetur) nec saepius referentiam ad Deum offensum continere videtur.

moralem — respicient. Quattuor sunt et ab ipso *principia absoluta* vocantur. His normis innixus (quae, in eius mentalitate, compendium et supremum apex Evangelii continent) homo discernet quando illa *revelatio* a Deo accepta, vere divina sit et non a nostra imaginatione inspirata. Si adhuc dubium aliquod remanet, sufficiet sibimetipsi quaerere: « quid alii qui Dei vocem audiunt, de hac eadem re cogitant »? — Nam ut statim adiungit: « Haec est non scripta lex conviventiae (fellowship) et signum certum praesentiae divinae. Nemo enim a Deo totaliter possidebitur si per se solum laborare velit. Deus solummodo clarissime ad eos qui communiter laborant suas cogitationes aperit » [22]. — Allusio sufficienter clara est ad homines iam pridem praeparatos qui totum motum, sub directione suprema Buchman, dirigunt. Sed veniamus ad principiorum explicationem.

Primum est *absoluta honestas*, quae nos inducit ad veritatem in sua plenitudine acceptandam et vivendam. Includit fugam ab insinceritate et a mendacio. Supponit hominem in suis negotiis iuste procedere neque unquam contra bonum proximi agere. In vita domestica requirit plenam intelligentiam (sine retentione ullius secreti quanquam hoc nocivum evadere possit) inter personas matrimonio coniunctas, itemque inter parentes et filios. Norma extenditur etiam ad amicos — sine ullo genere infidelitatis — ad societatem et ad ipsam religionem.

Secundum est *absoluta puritas*. Haec nos impellit ut Deum inspiciamus, firmiter credendo Eum nos ab omni tentatione eripere et etiam a minima impuritate lavare posse. Ad hoc consequendum, loco discutiendi de natura peccati (maxime sexualis) de quo nimi multae et diversae sententiae existunt, praeferibile est nostram fidem in Deo ponere, Eius vocem indesinenter sequi ea convictione suffulti quod nostra sacrificia in hac materia facta, per alia bona multo maiora compensabuntur.

Tertium est *absolutum sacrificium* (unselfishness) in quantum egoismo opponitur. Hoc vitium in homine gignit insatisfactionem — et consequenter perpetuum tormentum — quoties cogitamus alios possidere bona quibus nos caremus. E contra, si nosmetipsos in omnibus negamus et propter bonum proximi procedimus, laetitiam et pacem multo superiorem illis quae a pecunia, honoribus et talentis consequi potest, obtinebimus. « Nostra sacrificia centies in

---

[22] Buchman, *Re-Making the World*, p. 36.

hoc mundo compensabuntur cum consolatione Christi et cum felicitate aliis mortalibus omnino ignota ».

Quartum est *absolutus amor* et duplicem aspectum comportat: unum *negativum* consistens in fuga irae, invidiae aliorumque defectuum qui eius actionem impediunt; et aliud *positivum* quo nos aliis plene tradimus et omnes homines fraterno amore prosequimur. « Sub influxu huius absoluti amoris, possibile nobis redditur in praxim deducere illud programma regenerationis mundi a Deo conceptum et omnem cogitationem humanam superans » [23].

Haec principia constituunt verum fundamentum ethico-religiosum motus et ut talia a suis dirigentibus in colloquiis privatis vel in publico proponuntur.

Theologi protestantes et motus MRA

His praemissis, videamus quid theologus vel studiosus historiae religionis de natura huius *Riarmo Morale* iudicare debeat. Theoretice multiplex via nobis aperitur. Opinionem inquirere possemus eorum, tum catholicorum tum protestantium, qui per istos annos, cursus apud Caux vel Mackinac secuti sunt. Methodus, tamen, difficultatibus non caret. Plures assistentium non nisi imperfectissimam notionem authentici Christianismi (maxime sub aspectu dogmatico) habere solent. Ideo suas impressiones ad modum laudum exprimunt nec de sereno studio principiorum in motu continentium nimis curant. In hoc puncto publicationes officiales a *Riarmo Morale* editae talia encomia continent, ut attentum lectorem ad informationem magis obiectivam alibi quaerendam inducant. Tandem, non desunt visitatores talium centrorum qui opinionem valde diversam, tum de methodis, tum de natura totius organizationis, exhibeant. Tale quid etiam in genere contingit illis qui, cum essent protestantes in motu militaverunt, et deinde ad religionem catholicam toto ex corde reversi sunt [24].

Examen illorum theologorum qui propius problema nostrum inspexerunt, maiorem utilitatem afferre poterit. Impressionibus

---

[23] Buchman in suis contionibus publicis non multum insistit in his « quattuor absolutis » (Cfr. Mowat, *The Message*... pp. 34-5). E contra, in colloquiis privatis apud Caux habitis, magnum illis momentum tribuitur.

[24] Plures litteras in hoc sensu abundantes, legere potui. Opinio P. Vogt, qui per longum tempus in Motu laboravit, eiusdem tenoris est. Cfr. etiam Doris Burton, *From Oxford Group to the Catholic Church*, London, 1934 et novum opus: *Through a Convert's Window*, 1950. Faith Abbot, quae plura de hac materia ex personali experientia cognoscit, librum praeparat in quo praesentem quaestionem discutiet.

non contenti, huiusmodi observatores totum systema scrutinio magis scientifico, sub luce Sacrae Scripturae et Traditionis christianae, subiiciunt. Ex his alii ad Ecclesiam catholicam, alii ad varios coetus protestanticos pertinent. De his ultimis loquendo, nova distinctio facienda est inter illos qui doctrinas orthodoxas (intra protestantismum) profitentur, et eos qui, principiis modernismi imbutos, plurimas doctrinas ut non essentiales despiciunt.

In quantum scio, non exsistit studium theologicum completum a protestantibus circa nostram materiam exaratum. In publicationibus officialibus RAM quae ad me usque pervenerunt, respectus sub quo problemata tractantur, non est plerumque theologicus. Alias, quaestiones nimis superficialiter tractantur et potius approbationes quam verae probationes videntur. Hoc, in concreto, accidit cum tot testimoniis in volumine R. C. Mowat, *Report on Moral Rearmament*, London, 1955, contentis. En duo exempla. Episcopus anglicanus, Gresford Jones, cum ab aliquo dirigenti motus quaerat utrum ipsi: « totam revelationem Novi Testamenti admittant et in sua organizatione locus sit omnibus christianis, a quakero usque ad catholicum romanum », et affirmationem positivam accipiat, sine ullo ulteriori examine, totum motum ut « ab Spiritu Sancto inspiratum » approbat. Praeses societatis missionariae in Scandinavia sic arguit: « Cum peccator coram me sistit et Christum profitetur, tunc ego bonos effectus motus agnosco, nec mea interest si theologi putent hanc organizationem non conformari cum illis notionibus (circa ecclesiam) quae ipsi in libris suae universitatis legerunt » [25]. Ex alia parte, pastores et episcopi ex Asia et Africa citati — quorum testimonia plures paginas occupant — magis de quaestionibus *racialibus* vel de utilitate motus ad veram libertatem et aequalitatem promovendam, quam de theologia proprie dicta, praeocupati videntur [26].

Recursus, proinde, fieri debet ad illos veri nominis theologos qui, data opera, aspectus religiosos in *Riarmo Morali* contentos — vel ab eo absentes si talis sit casus — examini subiiecerunt. Sive motui faveant, sive ipsi adversentur, semper aliqua utilia pro nostra materia praebebunt. Paucos huiusmodi theologos reformatos enumeremus.

---

[25] Testimonium D. Gresford Jones invenitur in paginis 35-6; verba D. Christian Bartholdy in pp. 21-22.

[26] In opere citato per totum caput cui titulus: *A World Spanning Force*, pp. 75-137.

Pro plurimis auctoribus americanis, praesens motus nihil aliud est nisi modificata versio illarum conmotionum (revival) quae in ecclesiis protestanticis saepius occurrunt. Professor Willard Sperry, ex Facultate Theologica Harvard, ait: « Oculis nostris, buchmanismus, non obstante sua apparenti novitate, phoenomenon notissimum est... Agitur de authentico *revival* et ex istis nimis multa in nostra historia cognovimus... Haec etiam ratio est cur, non obstante origine americana fundatoris, motus minorem successum apud nos habuerit quam in Anglia. Quanvis technica motus applicetur classibus socialibus superioribus (ideo appellatus est « *The Salvation Army in a dinner jacket* »), tamen media psychologica adhibita nobis indesinenter revocant illa quae, paucis abhinc deceniis, apud nos vigebant » [27]. « In sua essentia, addit Professor Claris E. Silox, motus est sectarius, nec possum capere quo pacto ecclesiae (protestanticae) ipsi adhaerere possint. Buchman adnumerari debet inter illos *infallibilistas* qui aliquam revelationem aliis communicandam habere putant. Si motus suum cursum normalem prosequitur, citius vel lentius in veram sectam convertetur » [28].

Eodem sensu abundat Horton Davies, professor Oxoniensis, secundum quem in *Riarmo Morale* solum nomenclatura mutata est, sed sine mutatione theologiae. Verba « life-changing » antiquo vocabulo « conversion » correspondent; « sharing » praecedentem verbum « to witness » substituit; et illi « house-parties » idem significant ac « testimony-meetings ». Aliae animadversiones a Davies factae respiciunt exaggeratum subiiectivismum, tendentiam reducendi Christianismum ad codicem moralitatis, falsam notionem circa illuminationem directam Spiritus Sancti, imperfectissimas notiones circa gratiam, naturam peccati, opus redemptionis, orationem, etc. [29].

Duo moderni theologi lutherani (Synodi Missouri) qui singula opera historiae religionis protestanticae modernae scripserunt, similes obiectiones efferunt. F. E. Meyer, in suo opere: *The Religious Bodies in America*, Saint Louis, 1954, dum extollit zelum missionarium in membris organizationis, affirmat positionem ipsius erga dogmata christiana — incipiendo ab ipsa persona Christi — esse vagam et parum definitam; et actionem eius reformatricem parum respicere Deum, multum vero hominem [30]. Ex parte sua

---

[27] W. Sperry, *Religion in America*, New York, 1942, p. 161.

[28] Cfr. ephemeridem *The Christian Century*, Chicago, 1934, p. 1139.

[29] Horton Davies, *Christian Deviations*, Oxford) 1952, p. 98.

[30] op. cit. p. 492. - Virgilius Ferm in volumine: *An Encyclopedia of Religion*,

J. L. Neve, in volumine *The History of Christian Thought*, Philadelphia, 1946, affirmat doctrinam a Buchman propositam in multis punctis (v. gr. in materia gratiae, peccati, fidei, remissionis, etc.) a theologia classica, per Reformatores ad nos usque transmissa, deficere quanvis, de facto, in ipsa suam inspirationem accipiat. Admissio paganorum ad eandem communionem cum Deo ac ipsi christiani, auctori nostro videtur absurda [31].

Ephemerides theologicae americanae saepius modo sat critico de hoc motu scripserunt. Tum *The Christian Century*, liberalis et sine connexione cum determinata ecclesia, tum *The American Church Monthly* frequentes obiectiones contentui theologico buchmanismi effecerunt [32]. Reinhold Niebuhr, theologus contemporaneus bene notus, in diversis occasionibus de nostra materia scripsit. Motum vocat « expressionem religiosam decadentis individualismi », creditque eius doctrinam « non continere nuntium evangelicum iudicii simul ac spei pro mundo, sed potius optimismum, individualismum et materialismum sub conceptibus religiosis christianis occultum ». Theoriam salvandi mundum ope divitum et praepotentium vocat « prorsus Sacrae Scripturae contrariam ». Putat etiam *Riarmo Morale* valde assimilari « sectis perfectionistis omnium temporum », quanvis socii non eodem modo ac in sectis classicis inter se uniantur [33].

Si rem ex silentio iudicare possemus, videtur ecclesias protestanticas originis calvinisticae fere nullam adhaesionem huic motui praebuisse.Ipsi coetus presbiteriani in Anglia vel in America, potius caute de buchmanismo eiusque propositis loquuntur. E contra, coetus lutherani Germaniae, et maxime nationum scandinavorum, frequentissime in favorem eius venisse videntur. Aliquid simile dicamus de ecclesiis liberis (Free Churches), de con-

---

New York, 1945, motum potius sub aspectu historico tractat. In eius opinione, MRA est reactio intra protestantismum contra id quod ipsi vocant « conventional religion ». MRA contendit: « Buchman esse fundatorem, Spiritum autem Sanctum verum caput » motus. Hic « caret theologia proprie dicta-quod, ab eius asseclis consideratur ut vera virtus » (p. 554).

[31] Neve-Heick, *A History of Christian Thought*, II, p. 329.

[32] Cfr. *The Congregational Quarterly*, 1934, p. 9. - *The Christian Century*, 1933, p. 336. - *The American Church Montly* (episcopaliana), 1932, pp. 440-1.

[33] Niebuhr, R. in suo libro: *Christianity and World Problems*, New York, 1952, continet capitulum sub titulo: *Hitler and Buchman*, pp. 159-165. In huius auctoris sententia: « There is unfortunately not the slightest indication that the propbetic spirit of the Bible has ever entered into this pollyanna religion by way of the quiet hour » (p. 162).

gregationalistis et partim — quanvis tonis multo magis moderatis — de methodistis.

Intra ecclesiam anglicanam, sensus erga hunc motum valde diversi fuerunt et sunt. Quotiescumque thema publice proponitur, ardentes controversiae — a propugnatoribus et a contradictoribus excitatae — exurgunt. Ut erat expectandum, testimonia in publicationibus officialibus MRA edita, omnia laudatoria sunt. Ad idem genus pertinent illi libri (*Twice Born, Only for Sinners*, *One Thing I Know*, etc.) a suis asseclis in prima periodo Oxoniensi motus scriptae. In sensu prorsus opposito scribunt alii ut G. WILLIAMSON, *Inside Buchmanism*, London 1954.

Sub aspectu theologico, contrapositio ab initio apparuit et ad nos usque sese extendere videtur. In libro *Oxford and the Groups*, London 1934, vel in opere *The Meaning of the Groups*, eodem anno et loco edito, plures inveniuntur auctores in re theologica experti qui possibilitatem collaborandi inter ecclesiam officialem et huiusmodi motum religiosum vident. Legantur in hoc sensu studia sequentia: *The Groups and the Churches* (J. W. WAND); *A Theologian's Appreciation* (C. E. RAVEN); *A Modern Churchman's Commendation* (H. D. MAJORI etc.). Rationes adductae pro approbatione sunt: Buchman est verus « evangelista » (ut antea fuerunt Wesley, Moody et alii); per suas methodos « reavivationem » in animis tepidis efficit et hoc omnibus nostris ecclesiis utile est, etc. Comparatio cum alio motu protestantico missionario, *The Student Christian Movement*, spontaneo modo ipsis occurrit cum spe fore ut buchmanismus id in nationibus christianis efficiat quod praecedens organizatio in terris missionum conducit [34].

Ex parte contraria eminuit episcopus anglicanus durhanensis, H. H. Benson, qui ut dux fortis sectoris opinionis, analysim sat completam principiorum motus fecit in suo opere, *The Oxford Groups*, London, 1933. Eius sententia, *Ridrmo Morale* theologiam profitetur incertam; sacramenta despicit; oboedientiam praestat non Christo Capiti, sed duci humano organizationis; notiones ab ipso professae circa remissionem peccatorum, consecutionem gratiae, inspirationem Spiritus Sancti, etc. fundamento carent. De eius statu, dicamus iuridico, haec opinatur: « Quanvis buchmanismus ignoret connexiones denominationales suorum membrorum, tamen tam effective implet normales functiones normalis denominationis

[34] Analysis horum capitum evidenter demonstrat motum, saltem in illis annis, ut typice protestanticum a contemporaneis haberi. Hanc circunstantiam hodie oblivioni tradere non oporteret.

(ecclesiae) ut in sua comparatione, alia systemata spiritualia superflua deveniant et citius vel posterius sint relinquenda. Sequendo logicum processum proprii systematis, hic motus in veram sectam convertetur »[35].

Anno 1954 ecclesia anglicana studium nostri problematis coetui speciali cui nomen *The Social and Industrial Council of the Church Assembly,* commissit. Prima sectio studii praesentati et officialiter approbati directe de theologia in motu latenti tractat. Agitur de crisi maxime completa ex parte protestantismi facta. Ibi reiiciuntur — ut iam ab aliis factum fuerat — erronei conceptus peccati, reparationis (« atonement »), gratiae, vitae futurae, valoris Sacrae Scripturae, sacramentorum et Ecclesiae, a *Riarmo Morali* impartiti. Auctores firmiter insistunt in contradictione existenti in motu qui ex una parte Christianismum profiteri intendit, ex alia vero exclusive de vita praesenti curat. Simili modo illud systema quod, in praxi, magnas religiones Orientis cum nostra fere aequiparat, non potest approbari ab his qui Christi discipuli nominantur. Si ultima regula in omni dubio est recursus ad Buchman (« *Frank's guidance is always right* »), actum est de valore supremo Sacrae Scripturae ut fonte revelationis. « Verum est, concludunt, hunc motum nomen vel auctoritatem ecclesiae sibi adscribere nolle. Tamen affirmat explicite se christianam causam promovere. Nunc vero, qui hoc ultimum tenet, effugere vix potest naturam ecclesiae vel saltem prae se habere illa media quibus illa causa constituitur et sustentatur »[36].

Ex dictis deduci debet, ad mentem plurium theologorum protestanticorum, *Riarmo Morale* in linea directa illorum *revival* inveniri et characteristicas coetuum protestanticorum possidere. « In centro laboris a MRA peracti, scribit episcopus lutheranus universitatis Kiel, exurgit crux Christi Iesu ». « Possumus inaugurare, ait ipse Buchman, maximam revolutionem omnium temporum per quam Crux Christi mundum transformabit ». Maxima, tamen, horum theologorum pars opinatur motum in variis notis essentialibus a doctrina traditionali Reformationis discedere, vel saltem in eis deficere. Unde alii inter motus modernisticos eum enumerant, dum alii inter tendentias religioso-sociales typi illius *Social*

---

[35] op. cit. p. 33. - Benson putat MRA incipere affirmando se non habere systema religiosum proprium ut finiat systema aliud amplectendo magis despoticum quam omnes alii coetus religiosi (p. 73).

[36] *(Church of England), A Report on the Moral Re-Armement* London, 1954, p. 15.

Gospel — initio saeculi a Rauschenbusch in America et in terris missionum propagati — adnumerandum esse putant [37].

Si adhuc responsum quaeratur ad problema valde agitatum circa naturam ecclesiasticam vel non ecclesiasticam huius motus, forse Emil Brünner solutionem aliquam prae manibus habeat. Hic theologus helveticus, semper motui addictissimus, eius apparitionem ut « potentiam Dei ad salutem animarum » salutavit. In eius opinione, MRA non solum est organizatio religiosa ex membris diversarum denominationum composita (ut accidit cum YMCA, cum *Christian Student Movement,* vel cum *China Inland Mission*), sed — non obstante repugnantia nomen ecclesiae sibi adhibendi, « plures continet characteristicas illius *εκκλησια* Novi Testamenti, quam plures aliae organizationes quae tali nomine insigniuntur ». Quin immo, secundum Brünner, *Riarmo Morale* ut verus typus futurae ecclesiae proponi posset. Nam, « sicuti in tempore Reformationis distinctio inter ecclesiam et sectam suum sensum amisit... sic nostris diebus idea ecclesiae sensu traditionali accepta, magis ac magis inutilis ad illud opus obeundum pro quo tales coetus creati fuerunt, redditur ». E contra, istae novae organizationes, in se flexibiles et a vinculis clericalibus liberatae, quae ut unicum finem « praedicationem Christi et creationem monopolii christiani in mundo » habent, vices illarum formarum assument. Nec hoc mirum videri debet cum « nostra ecclesia hodierna (the church) sit forma evoluta illius primitivae *εκκλησια,* et consequenter subiecta maneat relativitati quae totam historiam suis conditionibus subiicit ». Ideo mirari non oportet si « in quaerenda vera organizatione christiana (vera ecclesia) desint aliquae formae classici ecclesiasticismi ». Sufficit de facto — et ipse citat casum *Riarmo Morale* — ut in ea « aspectus magis specifici illius *εκκλησια* inveniantur » [38].

Opiniones intra Ecclesiam Catholicam

Inter catholicos, modus cogitandi et agendi circa motum MRA diversi sunt. Possemus fortase etiam geographicas regiones in qui-

---

[37] Similitudines inter illum motum religioso-socialem qui in intervallo primi et secundi belli mundialis, plures ecclesias protestanticas Americae et Asiae Orientalis invasit, et hodiernum MRA non sunt paucae. Tamen, in *Social Gospel* nimis apparebat character « materialisticum » Evangelii ab eiis praedicati, dum in MRA apparentiae mysticismi-sensu vulgari intellecti-praeminent.

[38] E. Brünner primum de hac re scripsit in ephemeride *Foi et Vie,* 1933, pp. 61-2. Longius eandem materiam tractat in libro: *The Misunderstanding of the Chuvch,* Philadelphia, 1953, p. 110, ss.

bus eius asseclae inveniuntur, delimitare. Verbi gratia, in Statibus Foederatis Americae, ubi Ecclesia Catholica florentissimum statum obtinet et ubi catholici in aliis adunationibus « interconfessionalibus » (ut in « National Council of Christians and Jews ») participant, desiderium collaborandi in nostro motu minimum apparet. Paucissimi laici in ipso militant — sacerdotes vero et religiosi a collaborando prorsus abstinent. Quaerenti mihi a R.mo Episcopo rationem talis absentiae, responsum fuit agi de motu protestantico cum fine specifice religioso sibi assignato, in quo proinde catholici nullam habere partem possent. Ideo etiam Episcopis nunquam necesse fuit speciali modo damnare organizationem ab omnibus ut heterodoxam habitam [39].

E contra, in Europa talis unanimitas non datur. Adhaesiones videntur paucissimae in Irlandia et sat paucae in Anglia. Motus ignoratur in Hispania et Lusitania. In clero et apud religiosos Italiae favorem non obtinuit, quanvis inter laicos aliqui ei faveant. In publicationibus officialibus motus, fere non apparent nomina catholicorum neerlandicorum. Ab anno 1952, postquam Hierarchia nationis belgicae normas concretas in hac materia tulit, videtur maximam partem catholicorum in ipsa organizationem derelinquisse. In aliquibus aliis nationibus duplex factio, tum in clero tum apud laicos, invenitur: eorum, nempe, qui motum repellunt, et eorum qui strenue ei favent.

Simili modo, in campo idearum duplex tendentia catholica notatur. Pauca de utraque dicamus. Fuerunt qui, ab initio, crisim et iudicium motui adversum tulerunt. Cum organizatio in sua phasi oxoniensi (versus annum 1934) inveniretur, duo specialistae in materia historiae religionum, Mons. Ronald Knox et P. M. D'Arcy, S. J. — qui testes eius activitatis in Oxford fuerant — connexiones illius cum motibus *revival* ecclesiarum protestanticarum, plane demonstraverunt [40]. Anno 1933 ephemerides londinensis *The Tablet*

---

[39] Iam anno 1936 in ephemeride *America* (ut refertur a *Civiltà Cattolica*, 1938, p. 124) haec circa motum statuebantur: « L' attegiamento dei Cattolici (americani) verso questo fenomeno, non differisce da quello che essi hanno tenuto verso gl' innumerevoli movimenti sorti tra i Protestanti sin dal principio ». P. Duff, in art. citato, sese refert ad limitatem « popularitatem » (« its lack of any permanent succes in the U. S ») in sua patria, Hoc saltem verum est de catholicis.

[40] P. M. D'Arcy, *The Groups and the Spirit of Worship* (in volumine: *Oxford and the Groups*) pp. 173-192. - R. A. Knox, *A Roman Catholic's Comment* (in volumine: *The Meaning of the Groups*) pp. 77-91. « Generally speaking, ait Mons. Knox, Buchmanism falls into the category of those spiritual revivals-Montanism, Quietism, Jansenism, within the Church; Anabaptism, Quakerism, Methodism, outside of it » (p. 82).

afirmavit buchmanismum « inveniri extra campum catholicum », ideoque oportere ut catholici ab eius adunationibus omnino abstinerent [41]. Anno sequenti, P. Henri du Passage, in ephemeride parisiensi *Etudes* motum ut omnino vagum, dogmatice superficialem et multis periculis expositum reiiecit. « Divina Providentia, aiebat, non relinquit mundum animarum « initiativis » individualibus, quanvis istae *inspiratae* vocentur, sed ipsis proposuit organizationem particularem (Ecclesiam) sine qua procedere non possent. Et siquidem isti *Oxford Groups* ab illa praescindere intendunt, magnis deviationibus proprii sensus sese exponunt » [42].

Existunt etiam articuli eodem sensu abundantes apud *L'Ami du Clergé,* 1935, et apud *La Vie Intellectuelle*, eiusdem anni. In hoc ultimo, post analysim theologicam institutam, P. Congar. O. P. plura in motu reprobat quae cum orthodoxia catholica componere non posse videntur: notiones peccati, revelationis (guidance), mutationis vitae, sacramentorum, constitutionis Ecclesiae, etc. Quin immo timet ne, tempore labente, illae communitates quae tunc *Groups of Oxford* appellabantur, in veram ecclesiam constituantur [43]. Ephemerides romana *La Civiltà Cattolica* — cum auctoritate quae sibi est propria — bis in nostra materia (annis 1938 et 1940) intervenit et notas authentice protestanticas in motu latentes denuntiavit [44]. Post bellum ultimum, articuli in sensu motui adverso scripti in plurimis ephemeridibus catholicis, tum Europae tum Americae, in lucem editi sunt.

Sed studium theologicum post-bellicum maioris momenti — sive lector eius conclusionibus assentiat sive non — debetur Ex.mo D. Leoni J. Suenens, Episcopo Auxiliari Mechliniensi (Malines) in suo libro: *Que faut-il-penser du Réarmement moral?* — Bruxelles, 1952. Auctor in toto opere redigendo, praeter elucubrationes personales et frequentes contactus cum maximis dirigentibus motus, alia subsidia et documenta prae se habuit, quae eius laborem densum et pretiosum reddunt. Non multum agit de antecedentibus historicis

---

[41] *The Tablet,* 30-XI-1933 et 28-X-1933.

[42] *Les Groupes d'Oxford*, Etudes, 1934, p. 476.

[43] P. Congar, *Le point de vue d'un theologien,* in *La Vie Intellectuelle,* 1936, pp. 30, ss. Cfr. etiam *L'Ami du Clergé,* 1915, pp. 613, ss.

[44] Barbera, *Un nuovo Movimento Protestante: Il Buchmanismo* (Civiltà Cattolica, 1938, pp. 128, ss. «Esso (motus MRA) resta sempre un movimento essenzialmente protestante, il quale al pari delle altre sette e movimenti protestanti, deve essere considerato e trattato dai Cattolici con risoluta e netta intransigenza verso le dottrine, sia pure con rispetto e cristiana benevolenza verso le persone sincere e di buona fede». - Cfr. *La Civiltà Cattolica,* 1940, pp. 409, ss.

motus, sed hunc ut in suo praesenti statu iacet, examini sibiicit. Praemissa quoque longa explicatione « technicae » apud Caux adhibitae, necnon et « popularitatis » inter gentes illustres plurimarum nationum obtentae, argumentatio theologica Mons. Suenens hoc modo procedit:

1) *Riarmo Morale* est verus motus religiosus, nam « ex una parte supponit Deum huic mundo locutum fuisse et correlative ad fidem recurrit, quanvis haec modo sat impraecisso enuntietur ». Agitur, praeterea, in mente fundatoris, « de vera revolutione christiana »; intendit « instaurare Christianismum viventem »; motus potest appellari « nova Pentecostes » ad regenerationem generis humani instituta, etc. Eius vis motrix est « ipse Spiritus Sanctus », et homines ad eius propagationem vocati « cognoscunt vim liberatricem Christi », incipiendo a Buchman « cuius persona identificatur cum incremento Ecclesiae invisibilis quae debet efformare Corpus Christi super terram ». Consequenter, concludit Mons. Suenens, « organizatio quae profitetur, in functione revelationis et S. Scripturae, hominibus proponere viam salutis et oboedientiae Spiritui Sancto, est necessario motus religiosus » [45].

2) *Hic motus religiosus est inspirationis protestanticae.* — Patet ex studio originis, connexionum et protectionis quae, in diversis stadiis, ab ecclesiis protestanticis accepit. Hoc ipsum elucet ex analysi optime elaborata conceptuum Christi, inspirationis, Ecclesiae, christianismi primitivi, etc. in motu praevalentium. Non sumus, certe, in praesentia alicuius christianismi typi traditionalis, ad certam organizationem ecclesiasticam vel ad numerum clausum dogmatum alligati, sed potius coram organizatione liberali quae nullam difficultatem in his modificandis experitur [46].

3) His rationibus *motus vera pericula pro catholico continet.* De se, conclusio ex antea dictis pateret. Tamen, data insistentia plurium asseclarum illum a protestantismo cuiuscumque generis liberandi, oportebat etiam in hoc puncto immorari. Pericula a Mons. Suenens stabilita haec sunt: *indifferentismus religiosus* ex

---

[45] op. laud. p. 92. - « Un mouvement qui fait profession, en fonction de la Révélation et de la Bible, de proposer aux hommes la voie du salut et de l'obéissance au Saint Esprit est-qu'il le veuille ou non-un mouvement religieux. Le fait d'être vague, informe, dépourvu de certains éléments que l'on trouve dans des confessions déterminés, ne suffit pas pour le classer ailleurs ».

[46] ib. p. 95. - Hoc punctum nobis indubitabile evadit ex his quae de genesi et evolutione historica motus iam retulimus.

eo procedens quod Buchman exaggerato modo in actione insistat, dum aliunde veritates religiosas et dogmata proprie dicta ut superflua reiiciat; *passivismus spiritualis*, fructus spontaneus illius certitudinis liberationis a peccato et eius absolutae fidei in inspiratione quae vicissim convertetur in oboedientiam propriae voluntati; et *messianismus temporalis una cum illuminismo* quo socii credunt se ad aliquod regnum christianum instaurandum esse vocatos, quin tamen ullum mandatum ad hoc acceperint et aspirationes ad praesentem vitam terrenam restringantur [47].

Haec et alia, stylo obiectivo simul ac theologico exposita, profundam impressionem in mundo catholico (et inter dirigentes *Riarmo Morale*, quanvis mentio libri in suis publicationibus non fiat) effecerunt. Litterae congratulatoriae a permultis episcopis, a Superioribus Generalibus Ordinum et Congregationum religiosarum, ad eum missae clare monstrabant opportunitatem et fructus illius apparitionis. Augurium Mons. Domenico Tardini auctori factum: « beaucoup des chretiens moins avertis trouveront dans les pages de Vôtre livre la lumière pour déceler le peril subtil qui se cache dans un mouvement aux apparences trompeuses et seduisantes », magna ex parte verificatum est.

Quod aliunde, ut saepius accidit in quaestionibus ubi Sanctae Sedis iudicium definitivum et universale deest, non significat omnes catholicos in linea, dicamus damnatoria, motus inveniri. Dantur qui in *Riarmo Morale* non solum talia pericula non vident, sed potius credunt ibi multa dari admiratione et approbatione digna. Ad finem anni 1951 dirigentes motus apud Caux, ediderunt libellum cui titulus: *Rapport destiné à l'Information des Catholiques*, cui tribus annis postea additur volumen *The Oxford Group and its work of Moral Rearmament*, London 1954. Utrumque studium continet opiniones et elucubrationes a laicis et a sacerdotibus factas. Ex his seligemus illas quae defensionem suae positionis non in meris laudibus, sed in aliqua ratione theologica fundant.

Canonicus E. Fischer tenet MRA non esse religionem neque sectam, sed « nisum aliquem (« un effort ») mobilizationis spiritualis christianum inducens ad impensius propriam religionem vivendam ». Alius canonicus, Sedlmeier, credit motum providentialiter esse excitatum ad veram defensionem religionis — cuius im-

---

[47] ib. pp. 96-101. - Auctor suas considerationes ad campum mere theologicum et religiosum restringit. Circa possibiles implicationes ordinis politici, cfr. *Nouvelte Revue Theologique*, 1948, p. 647.

pugnatio non iam circa Ecclesiam vel circa divinitatem Christi, sed circa ipsam ideam Dei versatur — efficiendam. Quattuor *principia absoluta* sunt ex Sermone Montis desumpta et omnis operatio quae ad Caux in anima verificatur, gratiae divinae tribuitur et cum doctrina paulina operationis supernaturalis coincidit [48].

P. Hora, benedictinus austriacus, atmospheram magnae benevolentiae erga catholicos ad Caux praevalentem extollit et contactus optimos cum non-catholicis (quin immo, veras conversiones) ibi fieri asserit. Si quaeratur utrum « phoenomenon Caux » sit naturale vel supernaturale, non dubitat hoc secundum affirmare. Agitur, proinde, de campo missionis et ea quae ibi operantur, « a Spiritu Sancto facta sunt ». Obiectiones quae contra methodum sublevantur, praeconceptae et a « farisaismo » productae sunt. Ideo putat « repraesentantes officiales Ecclesiae non solum observare, sed etiam suam contributionem apportare, quin immo, ibi verum apostolatum sacerdotale perficere debere ». Eius confrater, P. Hugo Lang, O. S. B. insistit *Riarmo Morale* non esse motum religiosum neque sectam sed « organizationem supranationalem quae conatur unumquemque hominum ad origines (« sources ») propriae religionis adducere ». Ideo sentit in ipso adunari revera illos homines bonae voluntatis quos Summus Pontifex ad communem conatum pro renovatione mundi efficienda hortatur.

P. Focke, S. J. Viennensis, non obstante sua convictione sufficientiae Ecclesiae ut unicae viae salutis, regulam citat quae Catholicos ad participationem in motu procurandam, vel permittendam, iuvat: « lex fundamentalis pro catholico est approbare omne bonum, verum et pulchrum ubicumque inveniatur ». Homines qui dirigunt motum laudibus extollit et collaborationem catholicorum ut prorsus licitam et bonam approbat. Easdem ideas exprimit P. J. David, etiam ex Societate Iesu, qui suam dissertationem his verbis finit: « Quicumque, ut catholicus, quaerit affirmationem suae fidei, non debet ad Caux adire. Qui vero impulsionem internam pro suo apostolato vellet vel qui suam religionem christianam in ambienti non-catholico spargere intendit, tales adunationes frequentare potest ».

Ex auctoribus non-ecclesiasticis qui de nostra re singillatim agunt, paucos citabo. Notus scriptor italicus, Carlo Lovera di Castiglione, suam elucubrationem ad usum episcopi auxiliaris Los An-

---

[48] Exemplar dactylographicum qood prae manibus habeo, paginationem normalem non sequitur. Tamen, testimonia allata in prima parte informationis inveniuntur.

geles, California, confecisse testatur. Puncta praecipua ab eo exposita, sic resumi possunt: 1) RMA non est religio, neque ecclesia neque secta; 2) nullum periculum in ipso pro catholicis habetur neque indifferentiae religiosae neque communicationis in sacris; 3) neque debet adnumerari inter instrumenta propagandae protestanticae nam « plures protestantes fiunt catholici, nullus vero catholicus in protestantismum transit »; 4) agitur simpliciter de methodo mundum reformandi, incipiendo a sui ipsius reformatione; 5) hucusque (1948) Sancta Sedes de hac materia suam sententiam ferre opportunum non duxit. Inter episcopos datur duplex modus quaestionem respiciendi: « illi qui informationem directam et inmediatam obtinere potuerunt », favent motui et fidelibus permittunt ut ad Caux assistant (citantur nomina); « illi autem qui dependent ab ambienti clauso (« de milieux fermés ») et informationem directam habere non valuerunt », magis nobis adversantur [49].

Karl Adam putat unicum modum evincendi communismum in Europa esse per methodos adhibitas a *Riarmo Morale*. « Hic tamen non est, ut nomen suggerire videretur, motus mere ethicus, sed *religiosus et in profundissimo sensu motus christianus*. Aliunde, non agitur de nova ecclesia neque de nova secta. Finis ipsi assignatus est conscientias hominum excitare ita ut unusquisque suae fidei (quanvis paganae) fidelis maneat ». Hac ratione gentes plurium religionum paganarum sub strictissima unitate ligare potest. Neque nimis insistamus in subiectivismo ad Caux contento, quia « sub ipso occultatur obiectivismus « colossalis », maxime obiectiva veritas, quae nunquam exstitit, nempe revelatio christiana, doctrina christiana, ecclesia christiana ». Pro nobis, catholicis, aliud bonum prae se habet, id est, « re-creationem » ideae et actionis laicatus. Nam, « si volumus renascentiam christianam in Occidente, oportet ut idea sacerdotii laicorum iterum splendeat. Ne exaltetur praeeminentia nostri sacerdotii supra laicatum tali modo ut illorum verborum Christi obliviscamur: « Magister vester unus est et vos omnes fratres estis » [50].

Professor Werner Schölleng, Decanus Facultatis Theologiae Catholicae in universitate Bonn, in suo recenti libro: *Actuelle Moralprobleme* (1956), aliqua circa nostram materiam mentione digna

---

[49] Textus completus huius ultimae assertionis invenitur in longa praefatione a nostro auctore facta editioni italicae libri Buchman sub titulo: *Rifare il Mondo*, 1952. Similes opiniones exposuit in ephemeride romana *Unitas*, 1948, pp. 224, ss.

[50] *Re-Making the World*, pp. 256-7.

continet. In eius opinione, « motus RAM plurium vitas mutavit », et haec experientia induxit Buchman — non obstante aliorum oppositione — ad illud pristinum *Oxford Group Mouvement* in motum praesentem mutandum. Huius finis est « mobilizatio virium moralium ad reformationem nostrae vitae oeconomicae et politicae obtinendam ». Post primum bellum, Max Scheler scripserat « De pace inter religiosas confessiones obtinenda ». Nunc auctoritates Ecclesiae, ipso Summo Pontifice praeeunte, simili modo loquuntur. Quin immo, « sermo est de possibili cooperatione romana cum Islamismo ».

In Germania — et in aliis nationibus — « integralistae tali cooperationi sese opponunt ». « Si id quod intendunt est suas accusationes suspitionis haereticae in principia erigere et ita confundere omnes qui ab eis dissentiunt, tunc oporteret et nos aliis argumentis illa refellere. Aliud dicendum esset si solum ageretur de opportunitate talia principia in praxi deducendi ». Conditiones actuales in Germania exigunt « unionem omnium virium positivarum, cuiuscumque naturae ipsae sint ». Aliter, victoria obtineretur a solo communismo. Neque timendum quod homines (etiamsi Catholici sint) ex naturalismo, ope RAM, educti, nihil de progressu ulteriori animae curent, sed potius cum illa minima portione religiosa (a RAM ipsis oblata) sint contenti. « Personales impressiones — et conversationes cum aliis a me habitae — tale periculum excludere videntur. *Omnis ille qui semel de elementis religiosis et moralibus certior factus est, semper ad ulteriorem veritatem inveniendam contendit* » [51].

Bene notus philosophus catholicus, Gabriel Marcel, haec in ephemeride *Vaterland* (25 Augusti, 1956) scripsit:

« Libenter omnino vocem meae approbationis et gratitudinis iungo cum aliis catholicis in laudem extra-ordinarii et vere christiani laboris a motu RAM in toto mundo comparati. In hac materia existunt adhuc plura praeiudicia quae fortiter impugnare et demolire debemus. Illud, in primis, quod in motu nescio quam sectam religiosam invenire vellet, cum de facto simpliciter agatur de via aliqua universali in qua christiani suum influxum in mundo exercere possunt. Praeterea, hic influxus non exercetur ad modum Ecclesiae. Agitur potius de responsione ad adiuncta praesentia et ad

---

[51] Tota dissertatio (quae gratis et amore distribuitur in officiis MRA) hunc titulum praese fert: *The Basic Problem of Education and Morals*, Cologne, 1955. Nostra citatio in pagina 16 invenitur et partem facit capitis: *Catholics and Moral Re-Armement.*

plurimos conflictos resolvendos qui saepius cum quaestione religiosa connectuntur... Ratione admirabilis et vere evangelici zeli eorum qui in hoc motu causae christianae deserviunt, experientia religiosa a RAM impartita comparari posset concentui musico universali qui ab hominibus cuiuscumque stirpis et coloris percipitur » [52].

Tandem, paucis abhinc hebdomadis, opus integrum editum est a scriptore catholico anglico, Sir Arnold Lunn, nostrae materiae dedicatum: ENIGMA, *A Study of Moral Re-Armenent,* London, 1957. Auctor in discussionibus anno 1954 in ephemeride *The Tablet* habitis, defensionem motus ardenter contra alios connationales susceperat. In novissimo opere eadem argumenta — plurimis anecdotibus et disquisitionibus aucta — lectoribus offert. Lunn plenam fidem directoribus motus, necnon et sacerdotibus qui apud Caux congregari solent, adhibere videtur. Methodus ad probandam inocuitatem MRA pro catholicis adhibita, aliqualem stuporem in homine critico suscitat. Ex una parte, silentio fere absoluto praetermittit ea quae theologi catholici, Hierarchia ecclesiastica plurium nationum vel ipsum Sanctum Officium de hac re protulerunt, dum ex alia omnia illa recollit quae in favorem sui argumenti dicta vel scripta sunt. Habemus in libro collecta plurima ex illis quae MRA in suis libris et ephemeridibus ad fines propagandisticos distribuit. Auctor, saepius in decursu libri, seipsum « testem impartialem » esse et defectus in motu latentes carpere asserit De facto, tamen, et in suo complexu, opus vere apologeticum in favorem MRA conficit. Quoad argumenta ordinis dogmatici attinet, pauca continet quae vere personalia sunt. Ut plurimum, in his quae ab aliis in defensionem MRA dicta sunt, innititur [53].

INTERVENTUS EPISCOPORUM ET S. SEDIS

Post opiniones theologorum ex Ecclesia Catholica et protestantica provenientium, voces Hierarchiae ecclesiasticae auscultemus [54]. Ut expectandum erat, plures illustres Praesules qui in suis dioecesibus problema a *Riarmo Morale* impositum habebant, fidelibus doctrinam authenticam circa eius naturam praebere oportere putaverunt.

---

[52] Verba citantur a Lunn in ultima pagina libri statim indicandi.

[53] A. LUNN, *Enigma: A Study of Moral Re-Armement*, London, 1957. De facto, manuscriptum operis dirigentibus RAM praesentatum fuit ab eisque approbatum. Hodie ut « optinum testem impartialem », ab ipsis usum catholicorum commendatur.

[54] Ex Codice Iuris Canonici (cc. 334, 335, 804 § 3 et 1326) cognoscimus limites geographicas et personals horum praescriptorum Ordinariorum.

Una ex primis declarationibus nobis data fuit anno 1934 a Mons. Ruch, episcopo Strasburgensi, et in ea statuebatur: « motum esse protestanticum in sua origine, charactere et tendentiis », ideoque catholicis non licere in eo partem habere [55]. Paulo post, Rdmus. D. M. J. Browne, episcopus Galway, in Irlandia, longum studium circa *Oxford Groups* instituit singula elementa quibus motus constititur iudicio subiiciendo. « Isti coetus, concludebat, constituunt sectam haereticam... Consequenter, Catholicus ad eos pertinere non potest quin simul doctrinas Ecclesiae suae reiiciat... Quin immo, ipsa assistentia passiva — meri spectatoris — eorum adunationibus ipsi non est permissa » [56]. Episcopus Benson, ex Lausanne, suis fidelibus per pastorales litteras scribens, eundem timorem maculationis haereticae exprimebat: « Pro nobis, catholicis, motus Oxoniensis, quanvis ad omnes christianos dirigatur, manet re vera protestanticus neque admittit ullam ex illis realitatibus quae nos ad salutem animarum necessarias esse cognoscimus » [57]. Remedium adhibendum coincidebat cum illo ab anterioribus Praesulibus praescripto: abstinentia totalis ab eorum organizationibus et adunationibus.

Statim post bellum ultimum — ratione praecisse illius perturbationis animorum in multis partibus existentis quae in Encyclica *Humani Generis* describitur — sacri Antistites frequentius intervenire debuerunt. Anno 1946 Cardinalis Hinsley et Episcopatus Angliae prohibitionem renovaverunt a fundatore motus *Sword of the Spirit* iam a longo tempore datam. « Cum hic motus adeo inmersus sit in indifferentismo... nemo catholicorum in eo partem habere et cooperare potest. Moneantur ergo fideles ne ad adunationes ab ipso convocatas, ne quidem ad modum spectatorum, adeant » [58]. E contra, tum Rdmus. D. Charrière, tum Episcopi Galliae (annis 1947 et 1948 respective) minorem severitatem respectu ad motum ostenderunt. Episcopus Lausanne, quanvis agnosceret pericula realia in organizatione latere et catholicos ad plenam

---

[55] *Bulletin Ecclesiastique du diocese de Strasbourg,* Avril, 1956, pp. 207-8.

[56] M. J. Browne, *Bishop of Galway, The Oxford Groups,* in ephemeride *Irish Ecclesiastical Review,* 1736, pp. 635-643.

[57] Semaine Catholique, Lausanne, 12 lanuarii, 1939.

[58] Duff, art. cit. p. 285. - Anno 1948 omnes Episcopi Anglie, in adunatione ab Cardinali Griffin habita, eandem positionem sollemni modo confirmaverunt: «Moral Re-Armement is so tainted with indifferentism... that no Catholic may take part in such a movement or formally cooperate. Catholics should be warned not to attend its meetings or gatherings, *even as spectators*». (Cfr. *The Tablet,* 1954, p. 235).

vitam suae Ecclesiae vivendam exhortaretur, opinabatur fideles, sub certis conditionibus, aliquam cooperationem ipsi dare posse [59]. Normae Episcopatus Galliae exigebant ut laici tales adunationes non adirent sine consilio alicuius sacerdotis bene informati. Pro seminaristis, religiosis et sacerdotibus exigebatur permissio ab Ordinariis vel Superioribus Maioribus concedenda. Praeterea, « curare debebant manifestare suam personalem praesentiam nullo modo includere approbationem principii Riarmo Morale ab Hierarchia catholicam factam » [60].

In aliis Europae partibus severiori modo procedendum esse iudicatum est. Anno 1950 Cardinalis Frings, verba ex sua cathedrali coloniensi faciens, sic dicebat: « Ecclesia suam positionem circa hunc motum bene definitam habet, putatque principia in quibus ipse fundatur continere vagum et periculosum syncretismum religiosum cui totam suam moralem conditionat. Ideo Ecclesia omni occasione utitur ut suos fideles, et magis adhuc suos sacerdotes, a participatione cuiuscumque generis in ipso dissuadeat » [61]. Die 12 Iunii 1952 Cardinalis Schuster admonitionem iampridem factam repetendam esse censuit. Illud *Monitum* postea ab ipso *Osservatore Romano* reproductum est. « Motus *Riarmo Morale*, scribebat Archiepiscopus Mediolanensis, qui est origine et systemate protestanticus, extra directionem et potestatem Ecclesiae manet, ideoque *heterodoxus* vocari deberet... Praetendit, locum Ecclesiae Catholicae sumendo (quae sola est a Christo ad transmissionem gratiarum redemptionis fundata) animas in contactu directo cum Deo et cum gratia collocare » [62]. Duobus mensibus postea, Episcopatus Belgii fideles suos monuit — ratione periculorum quae ad integritatem

---

[59] *L'Actualité Religieuse dans le monde,* 1953, 1-x-p. 20. - Conferantur haec verba, anno 1947 scripta, cum illis quae eius antecessor in citato documento scripserat. « Il movimento di Oxford, che nato e sviluppato al di fuori della gerarchia cattolica, astrae dai dogmi e dai Sacramenti e nemmeno esige la fede esplicita nella divinità di Cristo, non è fatto per noi Cattolici. Per buona che possa essere la loro intenzione, qualunque sia la simpatia personale che può unirci a loro, non dobbiamo ne dare il nostro nome, ne prender parte alle loro assemblee ». - Ex comparatione textuum apparet perplexitas creata apud fideles a verbis auctoritativis circa eundem motum et ab Ordinario eiusdem loci prolatis.

[60] *L'Actualité Religieuse dans le monde,* ib. ib.

[61] Mgr. Suenens, op. cit. p. 129. - Ibi etiam adducuntur verba D. Leonard, Episcopi Madurensis, in India, in quibus damnatur motus : « Aucun catholique ne peut faire partie de ce mouvement ».

[62] P F. Hürth, S. J. in suo articulo : *De conscientia christiana in iuventute rite efformanda* (*Periodica de Re Morali,* 1952, pp. 236-7) et loquendo praecise de « Morali Nova » citat Mandatum Emmi. Cardinalis Mediolanensis.

fidei in motu latent — ut omnino a participatione in adunationibus suis abstinerent [63].

Hoc momento, Sancta Sedes suam mentem aperire et primas animadversiones facere voluit. In responso ad quaesitum ad Sanctum Officium missum: « utrum conveniat clerum et membra communitatum religiosarum partem in conventibus *Riarmo Morale* sumere », Sacra Congregatio, post sessionem plenariam die 8 Augusti 1951, habitam, has normas ad Episcopos mundi catholici scripsit:

1) Non est conveniens ut sacerdotes cleri diocesani vel regularis, et a fortiori religiosae mulieres, in conventionibus *Riarmo Morale* participent.

2) Si circumstantiae exceptionales talem participationem opportunam reddant, antea permissio huius Sacrae Congregationis Sancti Officii petatur quae, aliunde, non concedetur nisi doctis et experimentatis sacerdotibus.

3) Tandem, non convenit ut fideles officia responsabilitatis in motu *Riarmo Morale* acceptent, multo minus adhuc ut in sic dictis « policy teams » partem ullam habeant » [64].

Apparenter, normae sufficienter perspicuae erant — tum in verbis tum maxime in illo quod communiter appellatur « sensus Ecclesiae ». Si id quod sincere quaerebatur erat bonum Catholicismi promovere, auctoritas romana — quanvis sine mandato prohibitivo absoluto — mentem suam clare aperuerat... Tamen, facta videtur monstravisse tum assistentiam fidelium, tum praesentiam sacerdotum, adhuc ex Caux non disparuisse. In publicationibus officialibus motus, hoc factum extollebatur.

Tunc, anno 1955 (saltem hoc tempore eius existentia in ephemeridibus catholicis apparuit) illud documentum iterum ad Ordinarios missum est. Ipsum commitabantur litterae ab Emmo. Card. Pizzardo, a Secretis praedictae S. Congregationis, in quibus aliqua mentione digna notabantur. Stuporem Emmus. Purpuratus mostrabat propter « exaggeratum enthusiasmum quo aliqui putabant methodos et media a *Riarmo Morale* adhibita efficatiora esse in praedicto motu quam intra Ecclesiam Catholicam ». Et concludebat his verbis: « Periculum syncretismi et religiosae indifferentiae — circa

---

[63] *Suenens*, op. cit. p. 129.

[64] Textus tunc temporis non fuit divulgatus. Nostra cognitio de mente et de verbis S. Officii provenit ex repetitione mandati (de quo statim) anno 1955 facta. Cfr. *La Documentaion Catholique*, 15 Mai, 1955, p. 606.

quod monitum iam factum est in connexione cum *Riarmo Morale* — amplius in dubium revocari non potest » [65].

Novae « accomodationes » earumque valor.

In periodo quae intercessit inter hos duos Sanctae Sedis interventus, aliqui catholici motum faventes opportunum iudicaverunt revisionem suae positionis efficere; aliqua fortasse minus bene intellecta explicare et alia pauca corrigere, ita ut in posterum participatio in organizatione nullum scrupulum apud fideles crearet. Normae a Sancto Officio traditae solum « directivae » erant et adhuc locus pro talibus discusionibus dabatur. Ita factum fuit apud Lausanne, sub directione Episcopi localis, ab aliquibus sacerdotibus quinque nationum qui iam pridem conventiones Caux frequentaverant. Titulus — dactylograficus — studii prae se fert nomen: *Essai sur le Réarmement Moral et la Participation des catholiques à son action*, Mars 1954, et in officiis a motu dependentibus obtineri potest. Agitur, ut ita dicam, de *ultima positione officiali* horum catholicorum quoad *Riarmo Morale*. Convenit, proinde, ut eam inspiciamus et simul nostras responsiones — si quae sint — praebeamus.

Argumentatio auctorum tribus gressibus procedit in quorum primo naturam non-religiosam motus demonstrare conantur ut in secundo explicent « modo catholico » technicam eius actionis et in tertio, tandem, de vera eius natura ethico-sociali sermonem faciant.

A) *Motus RMA non efformat ecclesiam aliquam protestanticam, neque motum revivalisticum neque organizationem religiosam proprie* dictam. Desunt enim in casu nostro dogmata, hierarchia et cultus. Neque motus praetendit esse ecclesiam superiorem (« super-église ») quae sub se alias contineat. Non sumus, proinde, in praesentia alicuius organizationis religiosae, sed veri motus ordinis naturalis cum fine etiam naturali sibi praescripto.

Plura hic continentur quibus singillatim, quanvis brevissime, satisfacere oportet. In genere, facile esset lectori illos textus a Buchman vel a suis inmediatis discipulis prolatos adducere in quibus contrarium asseri videtur. « Motus noster constituit revolutionem christianam et pro fine habet christianismum vitalem. Nova illuminatio descendet supra homines cuiuscumque ecclesiae et classis socialis eosque ad principia fundamentalia fidei christianae iterum

---

[65] *The Tablet*, 27-VIII-1955, p. 212, de textu et destinatariis litterarum Emmi. Card. Secretarii S. Officii nos certiores facit.

adducet » (Buchman, 1934). « Intendimus conatum communem efficere eo fine ut mundum Iesu Christo, Domino et Salvatori Nostro, tradamus. Haec nostra « ideologia » nihil aliud continet nisi bonum nuntium (« good news ») Evangelii et constituit unicam spem mundum salvandi » (Buchman, 1946). « Motus noster est biblicus et, proinde, ideologicus, aliis verbis, sese extendit ad totam nostram vitam et servitium praestat in vero regno Dei instaurando secundum verba Christi: *Fiat voluntas Tua sicut in coelo et in terra.* Unice hoc genus Christianismi potest desideria hominum omnium temporum satisfacere » (Episcopus Bengt Jonzon). « Noster exercitus mundialis vere constituit Corpus Christi, Corpus in quo Spiritus Sanctus sese inclusit... et organismus cuius cor et caput est ipse Christus Iesus » (Thornton-Duesbery, 1953). In statutis legalibus in quibus *Riarmo Morale* in corporationem pro Statibus Foederatis Americae constituitur, haec leguntur: « Nostra scientia est veritas revelata a Spiritu Sancto. Nostra securitas constituitur a divitiis Dei in Christo Iesu. Nostra unitas dirigitur a Spiritu Sancto. Nostra finalitas est implantatio Regni Dei in mundo » [66].

Sed, ad singula veniamus. Absentia dogmatum in *Riarmo Morale* solum partim veritati respondet. Ex una parte, Buchman — ut authenticus modernitsa in sinu protestantismi — nunquam praeoccupationem dogmaticam proprie dictam, neque intra suam ecclesiam lutheranam, habuit et idem principium suae organizationi applicare voluit. Ex alia vero parte, illa quattuor *principia absoluta* simul cum aliis directivis motus, locum propriorum dogmatum ibi tenent. Inspirationes in momentis « silentii » obtentae, infallibilem normam agendi et credendi constituut. Non solum doctrinae basicae, sed etiam ipsae indicationes a Buchman provenientes, tales sunt ut neque discussionem ullius generis admittant sed ab omnibus obsecundari debeant. — Circa *existentiam verae hierarchiae* — quanvis haec typum classicum non induat — socii organizationis multa nobis revelare possent. Semicultus fundatori tributus (legantur in hoc sensu eorum publicationes); ultimus recursus in omni dubio et discussione ipsi faciendus; caeca fides ipsius interpretationibus praestanda, etc. praesentiam occultae auctoritatis vere supremae nimis clare manifestant ut de ea dubitemus [67]. —

---

[66] Textus completus huius ultimae assertionis invenitur in libro iam citato: *The Oxford Group and its Work of Moral Re-Armement*, p. 46.

[67] Hoc factum a pluribus qui sine praeiudicio adunationibus apud Caux adfuerunt, libenter conceditur. Pluribus iam abhinc annis, unus ex ferventioribus asseclis buchmanismi, professor Van Dusen, ex Union Seminary, New York, haec asserebat: « Buchman will not hear the slightest questioning from anyone who does not share his view and his technique of insight ». Quin immo, etiam agendo

De *cultu* haec advertamus: plures organizationes protestanticae (v. gr. YMCA et societates missionariae interdenominationales) difficultatem non habent in eo quod socii in suis propriis capellis — vel in nulla — cultum peragant. Aliunde, oratio communis, silentium commune et alia huiusmodi ut verum et unicum cultum plurium qui nomen RMA dederunt considerari possunt [68] —.

Ut argumentum probativum motum MRA nolle esse aliquam « super-ecclesiam » vel non praetendere illas substituere, adducitur factum quod RMA nolit aliis sua dogmata imponere et semper magna reverentia omnes alias ecclesias, et maxime Catholicam, prosequatur. Iterum videmur cum verbis ludere. Nemo tenet Buchman ecclesiam typi traditionalis fundare voluisse. Teneamus, tamen, illa quae ex Brünner — qui mentem fundatoris bene cognoscebat — antea retulimus. Illa apparens reverentia erga Ecclesiam Catholicam, fortem impressionem in multis fidelibus et sacerdotibus effecisse videtur. Sed, ut bene advertit P. Aloysius Bouyer, ipse ex protestantismo conversus, apud protestantes modernismo imbutos, idea *ecclesiae* aequivalet ornamento aliquo externo minoris momenti (« à des cadres exterieurs relativement indifferents ») et haec conceptio iterum eos inducit ad hanc benevolentiam erga alias ecclesias habendam. Neque ille respectus particularis erga Catholicismum nos decipere deberet: « Le respect que les catholiques abusés croient voir dans cette position face à l'Eglise, n'est rien de plus qu'un mepris poli, enveloppé dans des formes où leur profonde ignorance du protestantisme ne leur permet pas de recconaitre » [69]. Vel ut addit P. E. Vogt, qui per plures annos in motu militaverat: « Poiche il Gruppo di Oxford si preoccupa di avere il controllo sul pensiero e sulla volonta dei propri seguaci, il fatto che essi siano incoraggiati a frequentare le pratiche religiose della loro Chiesa ha un significato solamente strategico... Una certa li-

---

de suis intimis discipulis, « he is much more receptive to suggestions for improvement of his dress, than for improvement of his theology and his methods » (*The Christian Century*, 1934, p. 1062).

[68] Ut bene advertit B. H. Streeter, anglicanus, illa oratio communis, una cum momentis silentii, verum locum liturgiae pro illis habere videtur: « The observance of the quiet time, when in the early mornig, the individual, together with prayer and study of the Bible, seeks daily direction from God, is regarded as essential principle of Christian living by the Group » (*The Oxford Group and its Work*... p. 38).

[69] Hoec positio P. Bouyer, qui aliunde sincerus promotor motus oecumenici existit et maiores contactus cum pratribus separatis fovere vellet, speciali vi probativa non caret.

bertà religiosa e concessa proprio dal comunismo là dove e in fase di conquista del potere » [70].

Manet quaestio de aequivalentia — vel non aequivalentia — MRA cum illis motibus *revivificationis* (revival) quae frequenter in protestantismo locum habent. — Respondent auctores negative, nam in eorum sententia, « nunquam isti motus extra protestantismum (v. gr. versus Ecclesiam Catholicam) sese extenderunt ». — In mea tamen opinione, haec affirmatio factis historicis minus consentanea esse videtur. Habemus plures conatus ab organizationibus vere protestanticis initos ad benevolentiam Sanctae Sedis obtinendam. Anno 1915 Robert H. Gardner, in nomine plurium ecclesiarum protestanticarum, Cardinalem Secretarium Status adivit ut collaborationem catholicorum intra illum motum oecumenicum obtineret. Post ultimum bellum, dirigentes motus iuvenilis protestantici YMCA, similes conversationes cum Congregationibus romanis et cum Sancto Officio inierunt — non ommisis plurimis *concessionibus* antea in favorem catholicorum — eo fine ut Sancta Sedes sua « praeiudicia » deponeret et catholicis plenam participationem permitteret. Et ratio utriusque interventus in promptu est: nostris diebus quilibet motus protestanticus (qui aliunde sit dogmatice sufficienter amorphus) qui in Europa successum habere praetendit, participationem, aut saltem approbationem catholicorum (quorum praestigium, ut dicitur, magnum in omni classi sociali est) obtinere tenetur. Ideo tales « aperturae » nullo modo excludunt — saltem per se — contagium haeterodoxiae in ipsis. Eorum natura aliunde, nempe ex principiis dogmaticis admissis vel negatis simul ac ex praxi religiosa adhibita, iudicanda est [71].

B) *Processus et technica a RMA adhibiti interpretationem catholicam subire possunt.* - In primis, illa quattuor *principia absoluta* quae scandalum apud multos creaverunt, non nimis literaliter sumenda sunt, neque putandum per ipsorum adoptionem nostram fidelitatem Deo et Ecclesiae detrimentum passuram. — Ni fallor, obiectio theologi non versatur directe circa ipsa principia (quae, tandem aliquando, videntur applicationes ex lege naturali desumptae) sed circa eorum valorem absolutum et circa eorum applicationem a singulis individuis faciendam. Homo catholicus fi-

---

[70] *Rivista del Clero Romano*, 1956, p. 272. -

[71] In casu nostro, iudicium theologorum protestanticorum Americae-ubi foenomena huius generis adeo frequentia sunt-maximi valoris est. E contra, neque in protestantismo continentali europeo, neque in Anglia tales motus nimis saepe dantur.

delitatem servare debet veritatibus revelatis et Ecclesiae docenti — et in his continentur plura in illis *principiis absolutis* non inclusa. Item pro catholicis « valoratio » principiorum non pendet a « revelationibus » privatim habitis, sed a doctrinis et dogmatibus multo magis obiectivis. Tandem, obvium est interpretationem talium absolutorum multum pendere a toto systemati doctrinali ab individuo amplexo: ita « puritas absoluta » uno modo interpretatur a mahumetano qui polygamiam admittit, a protestantico qui divortium et limitationem filiorum approbat, et a catholico cui etiam cogitationes impurae prorsus prohibentur [72].

« *Recollectio* » (« quiet times ») omnibus praescripta — et quae hucusque a dirigentibus motus tanquam perfectissimus contactus cum divinitate habebatur — debet in posterum considerari ut aliqua elevatio mentis ad Deum « consideratum ut fontem moralitatis ». In tali notione, admittunt nostri auctores, deest elementum necessarium orationis christianae, nempe adoratio Dei, sed hoc est aliquid quod a nobis suppleri potest. In hac quaestione, ex parte catholicorum, difficultas maior non daretur. Saepius nos, missionarii, simul cum paganis modo privato, orationem fecimus. Vitari, tamen, deberet inmixtio quaedam characteris publici quae impressionem daret ibi eundem cultum ab omnibus credentibus dari.

Punctum circa *inspirationem (guidance)* acceptam, multo magis delicatum est. Dicitur nobis talem inspirationem catholico modo interpretari posse et, in casu neccesitatis, Ecclesiam authentiam nostrae inspirationis « controlare » posse. Hoc, additur, a dirigentibus motus nobis conceditur. — Ageretur, proinde, de aliqua *concessione* quae, non obstante eorum mente bene fixa circa huiusmodi materiam, pro bono universaliori, nobis concederetur. Quod, aliunde, probaret usque ad tempora nostra non ita factum fuisse et plures ad Caux assistentes ad huiusmodi pericula et illusionismum sese exposuisse. Hoc erat, praecisse, quod multi theologi probare intendebant. Sed, puto per novam concessionem fundamentale periculum non removeri. Doctrina Ecclesiae traditionalis tenet hominem suis facultatibus utendo, et divina gratia cooperante, viam mandatorum Dei cognoscere posse, nec recursus continuos ad tales divinas inspirationes esse necessarios. Deinde, etiam in hypothesi, quod catholicus prae manibus haberet consiliarium doctum et prudentem, eum semper et pro omni casu adire recusare posset et deberet quia

---

[72] Ex hoc capite, si interpretatio « quattuor absolutorum » non fundatur in principiis inconcussis Evangelii - et haec non possunt locum habere ubi fautores tot religionum miscentur-spes catholicorum mundum sensu catholico reformandi, potius ut illusio habenda est.

talis recursus est contra authenticam doctrinam buchmanianam circa inspirationem directam et continuam Spiritus Sancti. Cui, tandem, catholicus fidelitatem servaret si protestans (qui « revelationem » accepit in materia divortii) ab eo consilium quaereret: Ecclesiae suae an Domino Buchman eiusque discipulis? [73].

Quaestio de *confessione* (sharing) peccatorum, sive publica sive privata, sociis et dirigentibus facienda, ab auctoribus nostris non attingitur. Et, tamen, agitur de materia magni momenti quia, ut apparet ex declarationibus plurium testium, non pauci catholici motui addicti, satis cum talibus manifestationibus ad con-socios factis sufficere sentiunt.

E contra, multum insistunt in notione « *mutationis* » (« *change* ») quae, secundum illos, magis conceptui catholico huius termini quam protestantico appropinquatur. Technica adhibita, aiunt, externe videri posset protestantica, sed in sua essentia non est, nam secundum authenticam doctrinam Reformationis, remissio peccati fit per solam imputationem meritorum Christi et peccator, post eam, permanet natura sua in peccatis inmersus. E contra, in RMA remissio attingit profunditatem animae et haec, a peccatis libera, vitam degit felicem in conformitate cum *quattuor absolutis*. — Prima obiectio (tum catholicorum tum protestantium orthodoxorum) circa *mutationes* a RMA inculcatas, sese refert ad motivationem doloris in peccato (« doleo de peccatis quia per ipsa alios offendi vel mundi statum peiorem reddidi ») in qua nulla allusio ad Deum contra quem peccavimus, invenitur. Talis dolor est mere *humanus* et non *evangelicus*. Spero etiam nostros auctores scire notionem naturae in perpetuum corruptae non iam admitti a multis coetibus protestanticis — et in concreto a methodismo. Sunt etiam sectae quae praecisse exaggeratum optimismum circa possibilitatem in bono perseverandi, profitentur. Et ad has pertineret nostrum RMA qui docet per conversionem et fidelitatem ad *quattuor absoluta*, suos socios subito illam perfectionem attingere quae, secundum doctrinam Ecclesiae, labore diuturno, per totam vitam continuari debet [74].

---

[73] Pastores animarum sciunt quam difficile saepius evadat homines-qui adhuc catholici dicuntur et esse volunt-ad plenam oboedientiam Hierarchiae reducere. Quid accidet si multi ex his firmiter credant illos veram inspirationem directe a Spiritu recipere?

[74] Haec absentia doloris peccatorum in authentico sensu christiano a plerisque theologis protestantícis huic motui obiicitur. - Circa fundamentales mutationes quoad aliqua principia primitivi protestantismi in America habitas. cfr. Nash, *Protestant Thought in the Twentieth Century*, New York, 1954, pp. 3-13. - De *sectis perfectionisticis*, bene agit, Elmer Clark, *The Small Sects in America*,

C) Probatis his praemissis — in quibus, ut animadvertet benevolus lector, plura obscura, si non ambigua, continentur — auctores nostri directe *ad punctum convenientiae participationis catholicae procedunt*. Argumentatio sic evolvitur. 1) *Theoretice nulla difficultas adest in eo quod catholici in motu non-confessionali participent.* — Responsio, etiam theorica, est affirmativa. Manet, tamen, probandum MRA nulla ex parte aspectum organizationis confessionalis induere. Sed de hoc satis in antecessum scriptum est. 2) Summus Pontifex, Pius XII, feliciter regnans, saepius « *appellavit omnes homines bonae voluntatis, etiam non-christianos, ad actionem moralem et socialem communem in mundo exercendam* ». Haec est nostra providentialis occasio, siquidem agitur de motu vere universali cui adhaerent praepotentes homines plurium nationum. Dolendum quidem esset si catholici ab eo abstinerent; eo magis quia nostra praesentia « ad evolutionem motus contribuit »; intra ipsum catholici in suo fervore religioso crescunt, et non-christiani fructus vere beneficos obtinent.

Doctrina pontificia in suo contextu dogmatico accipienda est, nec licet eam ab aliis principiis catholicis avellere. Quanvis fortasse plures individui in RAM sint « homines bonae voluntatis », tamen evidens est RAM non esse eiusmodi organizationem quam Romanus Pontifex in mente habuit pro illa actione communi; et hoc ob varias rationes iam allatas. Neque contactus intimus catholicorum (maxime si non sunt in fide bene fundati, vel si in aliqua crisi morali versantur) cum hominibus ad tot diversas religiones pertinentibus, periculis caret. In concreto, ille despectus dogmatum a Buchman professus —et a suis asseclis saepius imitatus — nullum bonum in tales homnes exercere posse videtur.

Neque valet illa ratio: hucusque non dari casus in quibus homines, ope RAM, fidem amiserunt et protestantismum amplexi sunt. Non desunt testes qui, saltem pro casibus particularibus, contrarium affirment. Indubium, in omni hypothesi est, non paucos qui ad Caux suam conversionem experti sunt, transacto aliquo tempore, illam organizationem ut unicam « ecclesiam » sibi necessariam considerent, non nimis curantes quid Ecclesia Catholica de aliquibus materiis statuat, dunmodo ipsi « directionem » a Buchman habeant. Et hoc, ut positivum damnum pro fide considerari debet [75].

---

pp. 51-85. Auctor in hac categoria collocat MRA cuius criticam satis severam in pp. 83-4 nobis praebet.

[75] Nec aliud logice expectari potest si MRA est « unica ideologia moralis », « unicus verus Communismi debellator », « unica responsio ad materialismum orga-

Simile quid affirmari debet de alio motivo, nempe de necessitate collaborandi cum MRA eo fine ut influxus catholicus ad homines qui nullam relationem cum vera Ecclesia habent, extendatur. Loquendo de nationibus non-christianis Extremi Orientis (cum quibus per plures annos egi) haec in concreto animadvertere vellem. Ratione innatae inclinationis ad syncretismum religiosum apud eos praevalentem, praesentia tot religionum concorditer agentium plus illos nocere quam favere dicerem. Sic enim sibi persuadent omnes differentias catholicos inter et protestantes ad meras controversias historicas temporis transacti reduci posse, et pro orientalibus omni momento practico carere. Item opinantur quod si Christianismus et aliae magnae religiones fere aequiparantur et aliunde totum dependet a privata inspiratione et ab adoptione *quattuor absolutorum*, nihil est cur orientales nimis de amplectendo Christianismo sint solliciti. Maneat unusquisque in sua religione, et hoc sufficit [75].

Nec nimis extollamus damna ab hac « isolatione » catholicorum producta. Hic noster amor erga « absolutam veritatem » nostrae religionis, saepius plus efficit — gratia Dei iuvante — quam illa mixtura et illae « concessiones » faciendae ut cum hominibus adeo diverse a nobis sentientibus in harmonia vivere possimus. (In memoriam revocemus singularitatem Ecclesiae Catholiace in materia divortii vel limitationis natalitatis hodie pro pluribus verum argumentum constituere autenticitatis Ecclesiae Christi. In his etiam profitemur certum « isolationismum »). Quid, tandem, dicendum de inacceptabili conditione catholicis imposita qua nobis

---

nizatum ». Fundator motus comparatur non solum cum maximis hominibus historiae (S. Paulo, Confucio, Budda, Mahometo vel S. Francisco Assisiensi) sed cum ipso Christo. Ut bene animadvertit P. Vogt, haec ipsa comparatio-quae auribus christianis blasphema sonat-in detrimentum ipsius Divini Salvatoris vertere videtur quia « mentre la Chiesa delle origini istituita da Christo ha fatto fallimento nel suo supremo obietivo che e quello di trasformare il mondo ', nessun seguace del Dr. Buchman dubita del successo messianico del Gruppo di Oxford » (art. cit. p. 272).

[75] In articulo a missionario protestantico qui, per plures annos, vitam in Oriente degit et huic problemati diligenter studuit, haec invenio quae nostram quaestionem directe attigunt: « Frequently, scribit Rev. M. H. Harrison, the reason given by non-Christians for not coming into the Christian fellowship is that they have found the same truths which the Christian evangelist has proclaimed within their own religion. I do not deny that this sometimes might be a rationalization, but in other cases the evangelist's desire to find some common standpoint must have had the effect of making it appear that the differences were not of such a character as to justify sacrifice. I sometimes wonder whether the widespread conviction in Hinduism of the present day that all religions are the same, has not been fostered by a faulty presentation of Christianity » (*The International Review of Missions*, 1949, p. 560).

nostras doctrinas, in materiis sic dictis « controversis » exponere in publico non permittitur quia unicum « dogma » officiale, et pro multis sufficiens, est illud a RMA suis asseclis impositum? — In his cassibus, silentium catholicorum pro implicita approbatione a circunstantibus haberi posset.

Neque problema videtur solutum per certas « modificationes » die 8 Septembris, 1955, propositas ad catholicorum participationem obtinendam, et quarum praecipuae haec sunt: in posterum statueretur MRA non esse « ecclesiam », sed, « portam ecclesiae »; supprimerentur illa vocabula (*Spiritus Sanctus*, *Crux Christi*, *Ecclesia*) quae saporem nimis christianum prae se ferunt; inspiratio et communicatio (*guidance* et *sharing*) non constituerent in futuro normam fixam, sed aliquod indicium valoris relativi; catholici non submitterentur influxui non-catholicorum, neque — in quantum tales — partem haberent in magnis itineribus propagandae; praeterea submitterentur Ordinario loci. Fertur aliquos dirigentes MRA — inter quos Peter Howard — talibus reformationibus suam dedisse approbationem [77].

Rationes nostrae affirmationis sic enuntiari possunt: 1) In quantum scio, approbatio « modificationum » in nulla publicatione officiali MRA hucusque apparuit; 2) Haec « flexibilitas » in mutatione verborum apud homines qui, de dogmate parum curantes, iisdem expressionibus nostris significationes prorsus diversas tribuunt, nullo modo correspondentem mutationem in eorum conceptionibus arguit; 3) Significatio authentica verborum ex ipsis textibus classicis summenda est, non ex aliqua interpretatione personali pro occasione facta; 4) Motus religiosus qui constanter ad verborum significationem mutandam promptus esset, a catholicis ut suspecta haberetur; 5) Existentia eiusdem nomeclaturae dogmaticae quae simul inservit catholicis, protestantibus et non-christianis ad ideas diversas significandas, confusionem damnosam catholicis crearet; 6) Neque intelligi potest quo pacto illi catholici qui, v. gr. in Anglia vel in Belgio, prohibentur participare in MRA, possint tuta conscientia apud Caux transire ut ibi permanenter in motu laborent; 7) Possibilitas effugiendi influxum non-catholicorum in organizatione in qua maxima pars dirigentium protestantismum multiplicis generis profitentur, potius utopica est; 8) Humano modo loquendi, modificatio substantialis quae ad participationem catholicorum exigeretur, renuntiationem plurium principiorum quae

[77] Documentum hoc in ephemeride helvetica: *Orientierung*, 20, n. 18, 1956, pp. 204 ss. in lucem editum est.

nimis cum genesi et natura ipsa motus coniuncta sunt, requireret. Talis suppositio acceptari non potest nisi post longam et a praxi confirmatam probationem [78].

Consequenter, motus *Riarmo Morale* uti iacet, propter suam originem, evolutionem et characteristicas protestanticas, longe prorsus ab Ecclesia remanet. Ratione exclusivismi doctrinalis ex una parte, mysticismi socialis et non-praeocupationis dogmaticae ex altera, verum periculum indifferentismi religiosi pro catholicis continet. Si, tempore labente, Ecclesia viderit nihil in ipso periculi contineri, gaudenter suis fidelibus partem activam in organizatione, quae aliunde plurimum de societate meruit, habere permittet.

Prudencio Damboriena, S. J.
Università Gregoriana, Roma.

---

[78] Ex fonte fide dignissima ad me refertur directores motus MRA recentius approbationem his conatibus «concessionum» ab aliquibus catholicis propositarum, plene denegavisse.

I PRINCIPI DELLA LEGISLAZIONE MUSICALE SACRA SECONDO L'ENC. *MUSICAE SACRAE DISCIPLINA**.

1. - A chi consideri lo svolgimento della musica sacra nel tempo e nello spazio non sfugge certo la presenza costante, anche se discreta e amorevole, della Suprema Autorità Ecclesiastica, che, come moderatrice della vita spirituale dei fedeli, previene, accompagna o interviene successivamente all'azione del musicista cattolico, per evitare che questi, sotto influssi eterogenei, abbia a deflettere dalle altissime finalità per le quali l'arte musicale è ammessa nel culto.

